


BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XVIII
D
24
NAPOLI



INJUSTITIA BELLI AUSTRIACI
CONTRA
CATHOLICUM HISPANIARUM REGEM
PHILIPPUM V.
GLISCENTIS.
SYNTAGMA
THEOLOGICO-JURIDICUM

A FR. BENEDICTO
DE NORIEGA
Ordinis Minorum Reg. Obſervant. quondam apud Salmanticenſes ſui inſtituti Sac. Theologiæ Primario Anteceſſore, & Studiorum Prefecto, nunc in Regno Neapolis Epiſcopo Acerrarum, Regioque Conſiliario, concinnatum, & editum.

Eidem potentiſſimo Hiſpaniarum
CATHOLICO MONARCHÆ
DICATUM.





NEAPOLI M. DCCV.
Ex nova Typographia Michaëlis Aloyſii Mutio.
Superiorum Licentia.



PHILIPPO V.

Hiſpaniarum Regi Catholico.

Fr. Benedictus de Noriega Epiſcopus Acerrarum
P. F.



Errerer; & quidem meritò; nè ſcommatibus, & ſibilis in, & extra aulam exciperer, ſi tantillus cum ſim, hoc Syntagma ad tantum Monarcham, qualis eſt PHILIPPUS V. dirigere auderem. Quodnam hoc vel munus, vel obſequium, ut ejus obtentu potentiſſimi Regis ſacras ædes penetrarem? Sed quid refert, ſi non mittam? Illud ſua ſponte, vel pondere ſuo (Catholice, & Inviſtiſſime Rex) ad pedes Majeſtatis tuæ ambitiosè deſcendit, ſub quibus præſidium quærit, & obtentum ire præſtolatur. Injuſtitiam belli, quod Auguſtiſſimus Cæſar adverſus tuam in vaſtiſſima Hiſpaniarum Monar-

chia æquissimam successionem excitavit, ediderit hoc Opusculum. In eo litterariis momentis bellum hoc, quod tanto ardore Cæsar, vel sub Cæsaris nomine Angli, & Batavi intulerunt, & adhuc urgent, disploditur: Jura Austriacæ Domus legali statera ponderantur: & levissima esse, juribus tuis collata, demonstratur: successionisque tuæ causa primævis Hispaniæ legibus decisa palàm ostenditur. Sed enim cum hujusmodi Regum disceptationes à bellicis tormentis ultimam decisionem sæpissimè referant; parum roboris pœnes adversarios, suis occupatissimos præjudiciis, hæc argumenta prætenderent; nisi arma tua armis Christianissimi, &, sine assentatione Maximi, Avi tui LUDOVICI conjuncta jura munirent, & enixè firmarent.

Ego quidem pro tenuitate mea hujus ædificii prævia solùm elementa substruxi; coronydem apponere tuæ egregiæ virtutis erit, qua fœderatorum vires retusæ, & triumphatæ cedere tandem compellantur, ut fiat pax in virtute tua. Jure igitur Opus currit ad Majestatem tuam, a qua ultimam manum, & colophonem, ut ita loquar, opperitur.

Nec dubito, quin justitiæ tuæ fęlicissimus, prout in votis habeo, eventus ab armis respondeat. Id mihi efficacissimè suadent invicta Avi tui Christianissimi magnanimitas, oculatissima

pro-

providentia, gloria militaris: Hactenus Magnus LUDOVICUS tot superatis terra marique inimicis, tot conquisitis Franco Sceptro Provinciis, tot erectis trophæis, tot exantlatis pro Fidei conservatione laboribus, se Regem liliorum ostendit. Quia nihil antiquius Franciæ Regibus, ex quo florentibus de Cęlo liliis donati, & sacro Rhemensi lirino inuncti sunt, quàm cum Ecclesiæ hostibus bellum gerere, & vindicatas ab his Provincias postliminio Petro restituere sub albis Franciæ liliis novo candore micantes. At dùm pro asserenda Majestati tuæ integra Monarchiæ Hispanæ successione, ex legibus, ex testamento Caroli decessoris, ex unanimi Subditorum suffragio ter debita, tot cum Regibus, Principibus, Potentatibus, par omnibus, & superior confligit, lilium etiam Regum acclametur, necesse est, tanto reliquis elevatior, quanto aliis floribus supereminet lilium.

Invident Ecclesiæ, & Franciæ gemini inimici horum liliorum splendorem, & in stuporem acti illud videntur usurpare. *Considerate lilia* agri Franci *quomodo crescunt*! alterum occupat Franciam suis primævis terminis restitutam: alterum excipit, quà quà patet, Hispania. ***Nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur, sicut unum ex istis***. Sed quid non audent, quid non tentant, ut marcescant lilia? terra, marique immensos thesau-

ſauros exhauriunt ; per omnes ferè Europæ oras bellum ſpargunt ; fœdus ſuum novo in dies Principum auctario roborant ; ogganiunt , fremunt, frendent , ſed , non proficiunt , nec Majeſtati tuæ tàm infenſi , quàm ſibi ipſi revera ſunt : qui proprias Provincias depauperant, imò decoquunt, ut ubique palmas ferant, quas lilia demetant, cohortes fundant , ut facilius fundantur, inimicos ingeminent , ut ſit tantò glorioſior , quantò uberior victoria.

Deſipiunt profectò, ſi e throno deturbare ſperant , quem LUDOVICUS Magnus animitus defendit. Fortè non advertunt, invincibilem eſſe LUDOVICUM , niſi à LUDOVICO vincatur. Intereà , dum eum in ſe ipſum non armant , dum ejus arma reſiſtunt , ejus Heroicæ Virtuti , & ſagaciſsimæ providentiæ abs dubio cedent. Ipſe enim his omnibus adverſariis nedum olim reluctatus eſt; ſed malè excepit , atque mulctavit, & (quod magis miramur) undique appetitus & externis armis, & internis Hugonotorum motibus, totus, quotus eſt, videbatur otiari, quaſi enim aliud ageret, quaſi luderet, glorioſos triumphos referebat , celeberrimas reportabat victorias . Felix LUDOVICI nomen victoriarum ejus & omen & ſchema præſefert: ſine ulla quippe vel minima jactantiæ umbra dicere poteſt. Hos potentiſsimos hoſtes , quos alius nec ſeriò agens ſuperaret, ludo vici, ludenſvè proſtravi.

Nam

Nam ingens ille; vel præsens armorum fragor; qui ubique mugiens universam territat, aut inquietat Europam, parum moratur capacissimam illam mentem, quæ Mundum ambit, eam virtutem, quæ alteri cedere nescia, se ipsa major, sibi soli cedit. Assentatoris notam, quæ virum Ecclesiasticum, summoperè dedecet, jure timerem, nisi obvium esset singularissimum illud acroama, quo Clemens IX. piissimæ recordationis P. M. Avum tuum ad nutum, & obsequium Ecclesiæ arma reponentem, quondàm celebravit. *Magnus LUDOVICUS; Mundo major, Mundi Regum maximus, thesauris opulentissimus, strenuissimis castris circumseptus; in limine Imperii totius Europæ, Gentium Patre exorante, ensem reposuit, ut arma, atque Imperia Religioni devoveret*: Hoc à Summo Sacerdotum Oraculo fidem, & sinceritatem meam liberam, & in tuto locatam crediderim.

En victum invincibilem: en superatum Magnum LUDOVICUM; sed à se ipso, qui in obsequium Ecclesiæ natus, nullam, quàm sui ipsius gloriosiorem dicare scivit, aut potuit victoriam. A quonam alio vinci posset Rex Mundo major, aut Mundi Regum maximus? Quis alius ei totius Europæ Imperium præriperet, nisi ipse sibi? Ipse, dum, se Religioni devincit, se ipsum vincit. Major triumphatus, an triumphans? Triumphum egit Religio, mutuatis tamen ab insigni modestia trophæis.

Hujus

Hujus dissertissimi Advocati militare patrocinium, & spiritus tuus verè Martialis, quo pericula spernens & incommoda, proprio exemplo legiones ad magna, ad Heroica excitas, felicissimum mihi belli exitum suadet. Illud verò prorsus persuadet, quod te Regem Hispaniarum non ab hominibus, neque per homines, sed à Deo datum agnosco. Planè quisquis consideret egregias, illas dotes decoris, majestatis, pietatis, modestiæ, magnanimitatis, quibus in ipso adhuc ineuntis juventutis flore copiosissimè ornaris, diffiteri nequibit, te per ideam Avi tui ad regnandum compositum. Quisquis animadvertat, à quo, quando, quomodò fueris ad successionem accitus, facile concedet, Majestatem tuam ut in Hispaniis regnaret destinatam, natam. In ipso nomine nescio quid juris succedendi sortitus es; in Hispania quippe Philippo aliquando Carolus, sed Carolo non Carolus, sed Philippus successit, Majestati verò tuæ post plurimos Imperii annos, nec Philippum, nec Carolum; sed novum à novo Philippo Alexandrum successurum speramus, qui Othomano debellato, conclamata Mahumeti spurcissima superstitione, solymis restitutis, Christi Sepulchrum liliatis castellis muniat, obsignet; & in Sacro Syon Monte sua vota piissimè solvat, sacra restauret ad militantis Ecclesiæ solatium. Vive, vale, vince.

AD

AD LECTOREM.

P*Aucis te expediam, (amice Lector) non enim est, cur te fusa præfatione distineam. Autumabis forsàn otiosum hoc Opusculum, quia post tot, tantosque Jurisperitos, qui de jure successionis Catholici Regis nostri scripserunt; nihil reliquum erat, quod edi posset. Sed enim nec otiosum, nec otiosè elaboratum illud reputabis, si attentè perlegeris. Non otiosum, quia quotquot hactenus de hoc argumento disseruerunt, solùm ex parte causæ, & per quamdam resultantiam præsentis belli injustitiam attingunt; non directè, & ex proposito injusti belli characteres expendunt, prout in eo expenduntur. Imò nec post tales jurium Catholici Regis nostri Patronos, quoad hanc partem otiosum opus crediderim: illi enim potius communi juri, quàm domesticis legibus innituntur. Ego autem legibus fundamentalibus totus insisto, stylo cujusvis captui accomodo, quia mágis didascalico, quàm severè juridico. Non itidem otiosè elaboratum; quia, si tecum conferas, quot calumniæ viris Ecclesiasticis circa hanc successionem affinguntur, qui universim Austriaci censentur, imo juris Domus Austriacæ præcones, concionatores, mystæ, amabis, aut quod ab hac calumnia re ipsa vindicentur, aut quod palam Europæ fiat, non omnes in ea esse sententia. Si mihi fidem, amice Lector, habere non dedignare, scito, controversiam*

b *istam*

istam in hoc Syntagmate non tam privato meo judicio, quàm plurimorum Ecclesiasticorum insignis doctrinæ dictamine, quibuscum de hoc argumento colloqui contigit, diffiniri. Cætero, si quid è calamo minus consideratum exciderit, tui purgatissimi judicii spongiâ emunge, aut prorsus dele, quia præter animum excidisse protestor: mentis namque meæ fuit, Regis Catholici jura asserere; nullius verò juri, aut nomini vel minimum derogare. Vale.



IN-

INDEX

SECTIONUM, ET PARAGRAPHORUM HUJUS SYNTAGMATIS.

§.

IL-

ILLUSTRISS. E REVERENDISS. SIG.

IL Canonico D. Gioseppe Bartellucci Agente di Monsig. Benedetto Noriega Vescovo dell'Acerra supplicando espone à V S Illustriss. come desidera dare alle Stampe un Libro intitolato *Injustitia Belli Austriaci contra Catholicum Hispaniarum Regem Philippum V. Syntagma Theologico-Juridicum*, composto da detto Monsig. Vescovo. Per tanto la supplica per le solite licenze, e l'avrà à grazia ut Deus.

Rev D. Bernardus de Rossi U. J. *Doctor revideat, & in scriptis referat. Neap. 22. Septembris* 1704.

JACOBUS MARIA DE ROSSI EPISCOPUS DE MASSA-LUBRENSI, VIC. GEN.

D. Petrus Marcus Gyptius Canonic. super editionem Librorum Eminentiss. Deputatus.

ILLUSTRISS. ET REVERENDISS. DOMINE.

CUm sedulò perlustrassem Opus inscriptum *Injustitia Belli Austriaci contra Catholicum Hispaniarum Regem Philippum V. Syntagma Theologico Juridicum*; ab Illustriss. & Reverendiss. D. Fr. Benedicto de Noriega Acerrarum Antistite, non minus ingeniosè, quam solidè, & eruditè compositum; nihil in eo reperi, quod Religioni Christianæ, bonisque moribus adversetur; Verùm magnoperè miratus sum, & in dies miror summum Auctoris ingenium, quum sibi declarandum suscipit, quanta cum æquitate summam Imperii teneat Philippus V. Ludovici Magni Nepos, qui in illo adipiscendo, non minus prudentia, quam felicitate est adjutus. Illud enim obtinuit cum Populorum voluntate, nihil putantium in præsens ipsis utilius, quàm confirmari illius Imperium. Et quod præceteris mentem meam movit, sunt validissimæ rationes, quas in medium profert ex Historia, Legibus municipalibus Hispaniæ, Sacris Canonibus, Sanctissimisque Patribus, in quibus mirè est versatus, ut palam faciat, quàm injustis de causis adversus nos Austriaci bellum excitaverint. Quarè in ea sum opinione, ut in lucem prodeat Opus tam nobilissimum, ac præclarissimum, modo gravissimum Dominationis tuæ Illustrissimæ judicium accesserit. Datum Neap. die 24. Novembris 1704.

Illustriss. & Reverendiss. Domine.

Obsequentissimus Servus
D. Bernardus Rossi U. J. D.

Attenta supradicta relatione quod potest imprimi, imprimatur. Neap. 25. Novembris 1704.

JACOBUS MARIA DE ROSSI EPISCOPUS DE MASSA-LUBRENSI, VIC. GEN.

D. Petrus Marcus Gyptius Canonic. Deput.

EC-

ECCELLENTISS. SIG.

IL Canonico D. Gioseppe Bartellucci Agente di Monsignor Frà D Benedetto di Noriega Vescovo della Real Chiesa dell' Acerra, supplicando espone à V. Ecc. come desidera dare alle Stampe un Libro intitolato *Injustitia Belli Austriaci contra Catholicum Hispaniarum Regem Philippum V. Syntagma Theologico Juridicum*: composto da detto Monsig. Vescovo. Per tanto supplica V. Ecc. per le solite licenze, e l'averà à grazia, ut Deus.

Mag. U.J.D. D. Leonardus Guttierez de la Huerta videat, & in scriptis referat.

GASCON REG. MERCADO REG.
BISCARDUS REG. ULLOA REG.

Provisum per S. E. Neap. 17. Septembris 1704.

Ill. D. Andreas imp. Mastellonus.

EXCELLENTISS. DOMINE.

JUssui Exc. V. gratulanter obtemperans ingenti animi voluptate perlegi, ac qua potui sedulitate lustravi Librum, cui titulus est *Injustitia Belli Austriaci contra Catholicum Hispaniarum Regem Philippum V. Syntagma Theologico Juridicum*, Authore Illustriss. D. Fr. Benedicto Noriega Episcopo Acerrarum, in quo nil Regali Jurisdictioni obluctans inveni: imo pro ea strenuè pugnat, Regaliaque Jura eximio ingenii acumine tuetur. Est Opus, si materiam respiciamus, gravissimum; si Authoris doctrinam, omnigena eruditione refertum. Dubia Theologica tutiori explanatione resolvit, Juridica solerti interpretatione conciliat, Moralia methodo apertissima monstrat, & politica cum ortodoxa miranda dexteritate componit. Tandem est opus doctum, floridum, eruditum, elegans, materia clausum, declamatione conspicuum, propositione obstructum, disputatione reseratum, vernantis eloquii flore mollitum, & cum magna Authoris laude compactum. Quocirca ipsum Cedri immortalitate dignissimum censeo, ut extemplò in lucem publicam prodeat, ne diu hoc Philippi V. Regis nostri propugnaculum desit, & ne gloria inde oritura fraudetur Author. Neapoli 4 Octobris 1704.

Excellentiæ Vestræ

Obsequentissimus, atque addictissimus Servus
D. Leonardus Guttierez de la Huerta.

Visa relatione imprimatur, & in publicatione servetur Regia Pragmatica.

GASCON REG. MERCADO REG. BISCARDUS REG.

Provisum per S.E. Neap. 13. Octobris 1704.

Ill. D. Andreas, & Ill. Dux Lauriæ non interfuerunt.

Mastellonus.

PRO-



PROLOQUIUM.



I unquam, vel uſquam injuſtum bellum excitatum eſt, prẹſertim inter Chriſtianos Principes, qui non ex efræni imperandi libidine, ſed ex inevitabili, & quodammodo fatali bellandi neceſſitate claſſicum ciêre ſolent; illud potiſſimùm cenſeri debet, quod Catholico Hiſpaniarum Regi Philippo V. intulit Auguſtiſs. Romanorum Imperator electus Leopoldus Auſtriacus. Id dum mecum ipſe attentè conſidero, abripior admiratione. Sed quis non miretur, Cæſarem probatæ mãſuetudinis virum, exploratæ moderationis Herôem, qui nonniſi ad propulſandas injurias gladium diſtringere didicit: qui, ne armiſtitium violaret; niſi laceſitus, niſi provocatus, etiam contra Crucis hoſtes, enſem renuit evaginare; ex abrupto velle e Throno deturbare, dejicere Philippum, jure Sanguinis, vigore Teſtamenti, Regnorum votis ad Sceptrum invitatum, electum, tractum, & ſucceſſiva

Populorum communi acclamatione, musitante nemine, in Solio firmatum? Is solum non mirabitur, qui sciat, Cæsarem Anglorum, ac Batavorum æstris percitum, & agitatum, bellum hoc difficile suscepisse. Ii authores, inspiratores, suasores fuere Principi cæteroqui lenissimo, & æquitatis cum primis amantissimo, ut acre, & funestum bellum, sibique potius, quàm aliis perniciosium, per universas Catholicæ Europæ oras spargeret. Ii, quorum alii antea numini bellum indixere, ut postea legitimi Principis dominium abjicerent: alii fidei, & juris jurandi refractarii, proprium Regem carcere detruserunt, & (quod horribilius est) causa dicta, addixerunt carnifici, ac in publico foro capite minuerunt: Ii, qui turpissima seditione commoti divinas, humanas leges pessundantes, in legitimum irruentes Monarcham, Regia, & Regno cedere compulerunt, filiam genitori, & generum socero præpostera violentia præferentes: illi, quibus nihil antiquius, familiarius nihil, quàm ex propria utilitate belli, & pacis fœdera dimetiri; quorum fœculenta democratia rapinis, ferro, & sanguine coaluit: ji & illi Leopoldum privatæ, & publicæ quietis studiosissimum, blandienti quodam, sed vano, expectationis philtro eò deduxerunt, ut Regem, quem jus gentium, jus Regni, jus genesis, ad thronum evexerant, Marte non excitato, adoriretur; priusque bellum urgeret, quam denuntiaret. Forsàn Fecialium præterita idcirco religio, quam vel ipsis gentibus præterire piaculum erat, nè in vestibulo hæ-

hærerent. *Audi Jupiter, audite fines, audi fas.* Qui contra jus fasque bellum intimarent. Nec Mars excusus audivit. *Mars vigila*, ut Liv.lib.1. Decad.4. Aul. Gell. noct.Atticar.lib.16.cap.4. & adnotavit Zerdens. noster ad illud Virg. Æneid.lib.7. *Movent in prælia Martem.* Quia verebantur, ne sub vexillis Monarchæ tàm injusto impulsu appetiti militaret. Sed non est Deus noster sicut Baal, qui (ut jocabatur Elias Reg. 3. cap.18.) clamoribus indigebat. *Clamate voce majori Deus enim est, & forsitan loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut certè dormit, ut excitetur.* Vigilat enim, imo est vigil, & sanctus ille, qui apud Danielem 4.cap. intonuit. *Succidite arborem, & præcidite ramos ejus: verùm germen radicum ejus in terra sinite.* Ipse est, qui Carolum II. arboris Austriacæ truncum, & columen, mortis securi præcidit, quique germen radicum ejus Philippum V. in terra sivit, & ad vastissimum Hispaniarum imperium excitavit. Undè non est cur timeamus, ne signis Cæsarianorum aspiret. *Etenim illi* (ut verbis utar Ciceronis lib.1.de offic.) *libidinem dominandi causam belli habent, & maximam gloriam in maximo imperio putant.* Imò oppositum sperare fas est, cum à nobis stet procul dubio justitia. *Justum quippè bellum est* (ait Isidorus relat. cap. *Justum*.23.q.2.) *quod ex edicto geritur propulsandorum hostium causa.*

Insignis planè calliditas! Exleges, & impietatis asseclæ, quibus nihil cum justitia commune, qui ut

Arsacides ille Tyridates apud Tacitum lib. 15. Annal. aliena pomeria invadere regiam laudem ducunt; ac jus ferentes in armis *fas versum atque nefas tot bella per Orbem* hucusque gessere; pietatem, & justitiam obtendunt, ut Catholicos Principes acerbè committant: id saltem adepturi, quod si Hispanorum Monarchiam secare, aut discindere nequeant; Hispanicam, Gallicam, Austriacam dispendiosissimo bello enervent; sin minus infirment; atque perpetui dissidii jactis seminibus, nũquam copulatis armis acatholicos aggredi valeant. Antequam Carolus II. humana desereret, nullum lapidem non moverunt, ut ejus patrimonium in frusta dividerent. Sed cum post ejus obitum posthumo quodam vigore revirescere conspexissent, Franciæ virtute excitato nativo calore, succoque vitali, antequam convalescat, in lectulo suffocare gestiunt; ut Ecclesiam, hoc strenuo pugile destitutam, facilius arietentur, prout in votis habent. Hinc Cæsari malè querulo, & sine causa dolenti, licet non sine occasione, fuerunt unguis in ulcere, ut sanguine, & pulvere faciem Europæ deturparet.

Sed est quod magis miremur. Nimirum, perspicuè vident, aut non videre non possunt, justitiam, & fortunam contentiosa quadam æmulatione pro Catholico Rege nostro Philippo, revelatis vultibus, dimicare, & tamen obfirmati, animos non despondent, sed ut Cęlo quoque bellum inferant, in quo naturæ leges ut in authographo scriptæ sunt, & primò excusæ; in

se

se ipsam naturam solicitant, ausu quodam barbaro parentes in filios provocantes, ac sanguinis, necessitudinis, affinitatis, gratitudinis sacrorum fęderum violationem suadentes, persuadentes, & multimodis inspirantes, ut his iniquis fundamentis substructis, firmius fulciatur intentæ tyrannidis ædificium.

Hæc vera, imo unica bellorum universam Europam depascentium causa est, quam si qua par est reflexione contemplaretur Augustissimus Cæsar; Hispaniarum, etiam meliori juri subnixus, minime prensaret imperium; sed sceptrum sponte abdicaret, quod nonnisi multo sanguine cruentatum Serenifs. Archiduci, si Diis placet, conquirere potest; & conquisitum, ab eisdem, qui nunc tam enixè jura Austriaca promovent, vix, & ne vix quidem defendere valet. Sed eò minus ad arma currere debuisset, quò, licet Majestati suæ apparenti victoriæ spe fęderatæ potentiæ adblandiantur, & legulei superficiali justitiæ colore deludant; re tamen ipsa, & juribus, & armis causa cadat necesse est. Juribus quidem, quia nullum ab ipsis validum opperiri potest subsidium. Armis subinde; quia jure. Cum enim Deus Optimus Maximus harum controversiarum Judex, & arbiter sit; dubitare nefas esset, quin ejus justitia, quæ nec declinari, nec corrumpi, nec appellari potest, sic moderatura sit rerum eventus, (prout jam gustare cæpimus) ut decretoria pugna pro Catholico Rege Philippo diffimat.

Intereà; dum alii arma movent, & manifestissimis

mis fidelitatis, & fortitudinis argumentis in lycæo Palladis Regis nostri Philippi justitiam demonstrant; Nos, qui pacatiori militiæ nomen dedimus, amoris itidem, & fidei erga speciosissimum, & bellicosissimum Principem, à Deoque datum Monarcham, theseram exerere non duximus importunum. Propterea in arena Minervæ ejus inconcussa jura, invictissimis rationum armis vindicare enitemur. Vel motiva, quibus Cæsar ad hoc bellum accinctus est, manifestam injustitiam præseferre, Deo auspice, demonstrabimus. Scopus ergo Syntagmatis nostri est; belli ab Augustissimo Cæsare contra Catholicum Regem, imò, & veriùs, contra Monarchiam Hispanam suscitati, Theologicè, & juridicè iniquitatẽ edisserere. Ex harum facultatum pænitioribus principiis præfixam hypotesim ostendere aggredimur pro modulo nostro. Sed enim, cum inter nostra momenta versanda, de jure succedendi agere, necesse sit, & hanc spartam alii jam adornarint ea facilitate, & fęlicitate, ut nihil non actum reliquisse videantur; si quid ab eis acceperimus, id in primis ea reverentia à nobis præstandum erit; ut non propriam, sed mutuatam à veris Dominis supellectilem ostentemus, ne fructus alieno labori respondentes furari accusemur. Utque intra propriæ professionis vallum contineamur, aut in alienam messem nos manum mittere ausos, necquis sibi persuadeat; ea, quæ de civili jurisprudentia demetemus, fini Theologico, vel Canonico, quem nobis præstitum volumus, tanquam puram ma-

te-

teriam ordinamus: Ea enim est universalium facultatum conditio, ut aliæ aliis subservire, & ministrare non dedignentur: Nimirum non semel juris Cæsarei professores Theologorum dogmata fini civili opportunè adaptant. Unde non mirandum, si Theologi juris Cæsarei conclusiones Theologicæ, aut Canonicæ structuræ supponant, quarum finis cum superior sit, inferiores facultates sibi subordinare, exploratissimũ est.

Sed priusquàm ad hypotesim persuadendam descendamus, operæ pretium duximus hujus tàm sævè grassantis belli occasionem in medium proferre. Consultò dixi occasionem, quia causam justificam reperire prorsus impossibile est, ut ex dicendis constabit. Causa igitur deficiente, ad occasionem, seu potius ad id, ex quo occasio captata est, recurramus necesse est: quam nullo colore fucatam, aut ascititio ornatam capillamento, sed nudam, & calvam, qualis revera est, proponemus.

BELLI AUSTRIACI OCCASIO.

MOnarchia Hispana, seu Catholica, quæ Gotthorum potentissimo Regno à Saracenis everso (ulciscente Domino eorum flagitia, præsertim Ecclesiæ in obedientiam, quam sub Vvitizzane Rege excutere ausi sunt, ut opportunè observavit Eminentissimus Cæsar Baronius ad ann. Christi 714.) justo nomine successit; ex contemptis, abscissisque radicibus in montanis Asturum abditis, sensim germinantibus,

ad

ad eam, qua modo potitur magnitudinem, divina irrorante clementia pervenit. Et sicut granum sinapis, quod minimum est omnibus seminibus, Christo atte-stante, dum terræ latibulis occultatur, majus verò omnibus oleribus dum e terræ visceribus emergit, huc atque illuc expandens ramos suos; e cryptis Asturicis, quibus aliquandiù delituit, per universas Orbis oras incredibili fœcunditate suæ dominationis surculos propagavit, Europam, Asiam, Africam, Americam suo sceptro contingens. Id quisquis consideret, mecum profectò opinabitur, his tenuissimis tantæ majestatis primordiis, potius quam Romanæ potentiæ principiis congruere illud Ovidii.

Parva fuit, si prima velis elementa referre
Romæ.....

Miramur sanè Dei macceßam, incircumscriptamvè providentiam erga Judæorum gentem, cùm, Antiocho universam Provinciam devastante, sacra profanante, & Israelitas à patriis ritibus ad superstitiosas gentium, ceremonias, qua minis, qua promissionibus, trahente, unum suscitavit Mathatiam, qui fidelium reliquiis præfectus, fugit in montes, ex quibus, postquam aliquandiù delituit, novo Asmonæorum principatui prima jecit fundamenta, qui paulatim succrescens, gentibus pluries debellatis, Orbem universum sua gloria replevit sub Juda Machabæo, *qui nominatus est usque ad ultimum terræ*, Machab. 1. cap. 2. & 3. Sed justiùs multò mirari debemus, ex Auseuæ montis specu potuisse,

de-

devicta Paganorum innumerabili multitudine, erumpere sub Pelagio Rege, (quem ut alterum Mathatiam Deus reliquiis Gotthorum præfecit, quæ in montanis præruptis, & inaccessis asylum quæritabant) lectissima illa Gotthicæ stirpis grana, quæ per Universum, quaqua patet, orbem sparsa, ex ultimæ ruinæ confinibus in eam magnitudinem, quam cunctę Nationes Hispaniæ invident, singulari gloria successerunt.

Hanc dominationis amplitudinem majori ex parte Hispanos obtinuisse exertis nervis, bellicaque virtute, cunctis est in confesso. Sed enim negare necesse non est, partim ex initis connubiis sibi accessisse. Cum namque ex primævis, & fundamentalibus Hispaniarum legibus, sive quibus Castellæ, sivę quibus Aragoniæ, aut Lusitaniæ Regna constituta sunt; successio, deficientibus masculis, ejusdem lineæ, & gradus fęminis Regii Sanguinis pateat; potuerunt primo Regna ipsa Hispaniæ in uno eodemque Principe coalescere. Siquidem nuptiis Ferdinandi magni, seu primi, cum Sanctia Legionensi, Legionis, & Castellæ Regna primum coierunt. Postea Ferdinando Aragonio Isabellam Castellanam desponsante, Aragonia, Valentia, Cathalonia, Baleares Insulæ, Ulterior Sicilia, & Sardinia Castellæ, & Legionis Regnis copulatæ sunt, ut non tàm Regum, quam Regnorum has nuptias æstimare possimus; illudque practico, & experimentali argumento comprobari, quod scite dixit Gramontius in Ludovic. XIII. *Nescis Regna simul contrahe-*

trahere, ubi nuptiarum fœdere nectuntur Reges? Subinde juribus Ferdinandi vel antiquis reviviſcentibus, vel novis recentiori beneficio ab Eccleſia donatis, eidem Coronæ accrevere citerioris Siciliæ, & Navarræ Regna, prout omnium Europæ Gentium hiſtoriis manifeſtum fit, & ex noſtris Hiſtoriographicis dilucidè ſcribunt Antonius Nebriſenſis, Mariana, Zamalloa, & alii complures in Ferdinando Catholico.

Hanc vaſtiſſimam ſucceſſionem poſt obitum Joannis Principis, Ferdinandi, & Iſabellæ unici maſculi, aditura foret Iſabella filia majornatu, Emmanueli Luſitano juſto vinculo copulata; niſi & ipſa paulo poſt Joannem acerbo fato prærepta, in filium Michalem omnem ſpem traduxiſſet. Sed cum hic adhuc trimulus vitam priuſquam guſtaſſet, faſtidiiſſet, locum fecit Joannæ avunculæ, poſt Iſabellam Ferdinando natæ, uxori Philippi Auſtriaci, Maximiliani Cæſaris filii. Hoc conjugio Monarchiæ alioqui ampliſſimæ, & propè immenſæ magnitudinis, novo jure advenerunt Burgundia, Brabantia, Flandria cum reliquis Provinciis Belgicis; poſtideà quidquid Auſtriades in Germania, & Auſtria ab Alberto tunc uſque conquiſierant, & poſſidebant. *Ita ex variis quaſi elementis* (ſicut de Roma Florus ſcripſit cap. 1.) *congregavit corpus unum* Monarchia Catholica. Et tanquam ſi ejus juſtæ corpulentiæ ſat non eſſet tantum externarum ditionum augmentum, quandiu univerſo Hiſpaniæ continenti jus non diceret; per obitum Henrici

Re-

Regis Cardinalis, Lusitania, & quidquid sive in Asia, sive in Africa, vel America ejus coronam respectabat, Philippo Secundo jure Isabellæ genitricis tandem cessit; licet hanc portionem audax juxta, ac fęlix Lusitanorum perduellio Philippo Quarto arripuerit.

Ex Philippo I., & Joanna Conjuge duplex Austriadum linea processit; altera Caroli Imperatoris, Ferdinandi Cæsaris altera. Prior per Philippum II. producta usque ad Carolum II. nuper defunctum, Hispaniæ hæsit, & indè jus dixit Hispanis, Italis, Belgis. Posterior, cedente Carolo jura sua, & Philippo II. annuente, Austriæ consedit, & status, quos domus Austriaca patrimoniales in Germania obtinuerat, moderata est, Imperiali lauro semper illustris, ob Sanguinis splendorem, militarem virtutem, & divitias, quibus eminuit, ad tantum sine interruptione evecta fastigiũ. Hæc in Augustissimo Leopoldo nova in dies gloria cumulata perseverat, eique jugem perseverantiam per multas annorum myriades fusis votis devotè adprecamur.

Philippus III. prioris lineæ nobile germen, piissimus Hispaniarum Rex, multa utriusque sexus lectissima prole dives, filiam natu maximam Serenissimam Infantem Annam Mauritiam Christianissimo Regi Ludovico XIII. eam avidè expetenti, nuptui tradere statuit. Sed antequam ultimam manum apposuisset cõtractui, prudenter consideravit, fieri posse, attenta humanarum rerum instabilitate, & vicissitudine,

quod extincta sine liberis prole virili, ex legibus Regnorum ad prolem Serenissimæ Infantis devolveretur successio: Quæ sanè devolutio ingentem Catholicæ Monarchię jacturam procuderet, ejus dominiis in Provinciam redactis. Hoc Hispanos permissuros nullus credebat; cùm quia ex ejus primævis legibus consuetudine firmatis, contendunt nulli potentiæ accedere posse; sed in se ipsa Hispanicam Monarchiam subsistere debere; Regemque in ea teneri solium figere, non inde extrahere. Tùm quia Hispania acerrimè disceptabat primatum inter Regna Catholica, ut pote quæ antè alia Reges ab Imperii legibus prorsus liberos, & Christianam Religionem professos obtinuisse, sibi persuadeat. Hanc itaque maximi quidem momenti difficultatem explanare gestivit, priusquam conjugio irrevocabilem assensum præstaret. Re diù multumque sudata, his cautelis in fędera itum est. Nimirum. Serenissima Infans paternæ, maternæque hęreditati renuntiaret dote assignanda contenta. Rex ipse Catholicus, pacto convento cum Christianissimo (quod uterque pro suis respectivè dominiis vim legis habere voluit, nè aliquando utraq; Monarchia cum alterutrius præjudicio commisceri, aut copulari posset) Serenissimam Infantem, & ejus prolem sive masculeam, sive fęmineam, à successione, & spe succedendi in Monarchia Hispana perpetuo exclusit. Hanc conventionem ante, & post conjugium, quibus optavit vinculis firmari, obtinuit: Et per generalia Castellæ comitia legitimè

coa-

coacta probari, ac pro lege rogari, assecutus fuit.

Philippus IV. filiam itidem majorem natu Serenissimam Infantem Mariam Theresiam Regi Christianissimo Ludovico XIV. nunc fęliciter regnanti, quem Deus diu sospitet, desponsaturus, hoc recens exemplum præ oculis habens non declinavit ad dexteram, vel ad sinistram; sed genitoris vestigiis totus insistens eandem hæreditatis paternæ, & maternæ renuntiationem exegit, eandem exclusionem, pacto convento, edidit, eisdem roborari cautelis obtinuit; hoc solummodo excepto, quod exclusionem per Regni comitia probari, ac pro lege rogari non contendit. Cætera paria sunt. Ex hac Serenissima Conjuge Ludovicus magnus unam eamque virilem prolem suscepit, Serenissimum Delphinum, qui ex Serenissima Marianna Christina Bavara tres filios procreavit. Serenissimum Ludovicum Ducem Burgundiæ natu maximum: Serenissimum Philippum Ducem Andegavensem Secundògenitum, & Serenissimum Carolum Ducem Biturigensium genesis conditione dumtaxat postremū. Alterius Philippi IV. filiæ Serenissimæ Infantis Margaritæ, quæ Augustissimo Leopoldo nupsit, soboles prorsus extinta est; eaque propter nihil habet cum instituto nostro commune.

Carolus Secundus piissimus, & dulcis memoriæ Rex, Philippi IV. filius relictus in Regno Successor, cum diutino, & obstinato morbo ancipiti fortuna confligens; dum jam ægritudini naturales vires succumbere

bere animadvertit; prudentissima & multis nominibus commendanda resolutione, quæ circa successionem imminebat, vel post ejus obitum emersuram credebat controversiam cum evidentissimo Patriæ detrimento, ultimis tabulis dirimere decrevit. Sed ut qua par erat maturitate in re tanti momenti procederetur: primum consuluit viros doctissimos, & timoratissimæ conscientiæ Prælatos complures, qui, re matura reflexione trutinata, & ad legum amussim ponderata, sua sensa Principi exquirenti sine affectione exposuerunt. His habitis, nec adhuc, ut tenerrimæ conscientiæ erat, plenè quietus, viam, quam ex juris prudentissimorum Virorum judicio inire decreverat, Romano Pontifici aperire voluit, sub cujus ultimo consilio, & approbatione tutius, & sine conscientiæ reprehensione decideret, tantique momenti negotio tanto arbitro fœliciter terminato, in pace quiesceret. Obiit tandem Carolus æternis Hispanorum, Subitorum, & bonorum omnium lacrymis parentandus, obiit, ingenti sui relicto desiderio; obiit suis, quàm vivens amantissimus, tam moriens beneficus; & tabulis resignatis, constitit. Ipsum, præmissa congrua, & juribus conformi declaratione renuntiationum, & exclusionum Serenissimarum Infantium sororis, & amitæ, Serenissimum ex majori sorore pronepotem Philippum Borbonium Andegavensium Ducem, Serenissimi Franciæ Delphini filium secundogenitum in universa Monarchia Successorem declarasse, & hæredem instituisse.

Ni-

Nimirum,cessantibus in eo renuntiationis, & exclusionis justis, veris, & subsistentibus motivis, omni procul dubio succedere debebat, tanquam is, qui linea proprior,& gradu proximior poterat Hispanum Sceptrum independens à Francica Corona, impermistum, & per se subsistens conservare: prout tam Carolus ipse, quam Superiores Reges, & Subditi omnes in votis semper habuerunt, & omni studio, ad primævarum legum spiritum, pro viribus contenderunt. Sed enim in quale quale agnationis solatium, à qua jura successionem evellerant; constituit conjugium Catholici Regis Philippi Successoris sui, cum Serenissima Austriæ Archiducissa, Augustissimi Cæsaris filia; ut nomen Austriacum, quod per ducentos ferè annos gloriosissimè in Hispaniis vixerat, sepeliretur cum honore.

Hæc Successoris consultissima aut destinatio,aut declaratio, in qua privata agnationis affectio publico Reipublicæ amori, paci, tranquillitati, justitiæ obsequi compulsa est; mirum in modum arrisit viris ex æquo bonis, & doctis, qui optimè notant, nullam in casu præsenti vim prætendere ex scriptas vel renuntiationes, vel exclusiones. Sed & (id forsàn magis mirabere) vulgo imperito, quod ex eo solùm principio, quod Rex Catholicus Carolus II. cujus conscientiæ illibatam integritatem exploratam habebat, morti vicinus, Sanguinis Austriaci immemor, eam ediderat; inferebat non insulsè, vel importunè, omnia jura à Francis esse; alioquin non litaturus Rex Austriacus agna-

agnationis amorem, quando nihil ipsi præter unum Dei judicium reformidandum supererat. Eaque propter, statim vocatus Philippus, adductus, cunctis plaudentibus exceptus, Rex salutatus, & fidelitatis juramento præeunte, ad avitum Thronum evectus; quin per multos menses ullus oggannierit, vel contra mussitaverit; nec Cæsar ipse aliquid contra produxerit, vel attentaverit; nisi quod stabilito conjugio, malis profecto avibus, assensum denegaverit.

Denique, inspirantibus Anglis, & Batavis, qui consimili labe deturpatos Hispanos vellent, scilicet, quod legitimo pulso Monarcha, contra jus fasque novum intruderent; ejus consilia, quæ tunc usque foras minimè eruperant, licet evaporare cæpissent, detecta sunt. Nimirum ex post facto, vana quadam delusus spe recuperandæ Monarchiæ, arma paravit, & pluribus solicitatis, sibique devinctis Principibus, Regi Catholico Philippo V. bellum unum multiplex non indixit, sed intulit; siquidem in eum universam ferè Christianam Europam obarmavit, multa sibi pollicitus de Subditis nuperi Regis, quæ tamen iterata experimenta Neapoli, Lombardiæ, & Bethicæ capta adhuc dispellere non potuerunt. Quando quidem male suasus Serenissimum Archiducem per Lusitaniæ januas, cujus Regem iniquo Hispaniæ fędere denuo sibi obstrinxit; Castellam invehere conatur; sperans fore, ut Hispani Archiducem ut è Cęlo delapsum, obviis ulnis excipiant. Quasi satis non esset ad eos abalienandos,

(etiam

(etiam dum in ipsum propenderent) quod à perduellibus fuerit ipsi aditus reseratus. Hæc belli occasio: de cujus eventu exitus dijudicabit: de justitia verò præsens Syntagma, postquam cuncta hinc inde acervata evannaverit, verioribus, ut par est, insistens respondebit.

SYNTAGMATIS PERSPICUA DISTINCTIO.

DIstinctio cum veritate maximam necessitudinem habet: quia veritas cognosci amat, & distinctio cognitioni facilem viam parat; fugat namque nubila, & caliginem, quibus veritas, ne illucescat, obduci, seu obtenebrari frequenter solet. Idcirco qui malam causam promovent, confusa quadam, & indigesta rerum congerie nō tàm subiectum orationis elucidant, quàm obnubunt, ac artificiosa commistione veluti tenebris offundunt. Nobis, qui veritatem quærimus, ad extricandam hanc labyrinthum, quam multiplici circuitu, & anfractu, qui de jure Austriaco scripserunt, potius obscurarunt, quam elucidaverint, distinctione opus est, quia ut Ariadnę glomere ad optatum tandem exitum pervenire valeamus. Sed enim in præsentiarum pro congrua distinctione instituenda, non est quod multum desudemus; cum ex visceribus subiecti, quod versamus distinctio exoriatur, nec opportunior alia excogitari possit. De injustitia

belli Austriaci sermonem facturi, eam luculentius demonstrare nequibimus, quàm si ipsi non assistere, sed potius resistere justi belli cõditiones evincamus. Cum enim juxta tritum Philosophorum pronũtiatum, obliquum per rectum cognoscatur, sicut privatio per habitum, quia rectum est index sui obliqui; per justi belli characteres injustum detegatur, oportet. Porrò ut Justus Lypsius scripsit civil.doct.lib.5.cap.4.tribus notis justum bellum comprobatur. Ex justo, scilicet, Authore, justa causa, & justo fine. *Bellum*, inquit, *justum tria hæc habet. Authorem, causam, & finem*, intellige, *justa*, ut ex capitis totius contextura satis superque liquescit. Ecce ex belli justi characteribus distinctio tenenda suboritur. Bellum igitur Austriacum iniustum ex Authore, ex Causa, ex Fine demonstrare aggredimur.

SECTIO I.

Injustitia belli Austriaci à parte Authoris ostenditur.

Superiores belli justi conditiones agnovere quot quot de belli justitia scripserunt seu Theologi, seu Canonistæ, quibus præivit D.August.lib.12.contra Faust.cap.74.& epist.5.& 207.Videndi D.Thom. 2.2.q.40.art.1.& ibidem Cardin. Caietan. Dominic. Bannes, atque alii Thomistæ. D.Bonavent. in Specul.

ani-

animæ cap. 1. in fine. Alexand. Alens. 3. p. q. 76. memb. 3. Henric. Gand quodlib. 15. q. 16. Gabriel Biel in 4. dist. 15. q. 4. Francisc. Victor. in singulari relect. de jure bell. Castro lib. 2. de justa hæreticor. punitio. cap. 14. Covarru. in cap. *peccatum* de Regul. jur. lib. 6. D. Emmanuel Gonzalez Tellez. Salmant. Vesperarius ad cap. *Sicut* de jure jurand. August. Barbos. Episcop. Ugentin. ad cap. *Justum* 23. q. 2. & alibi sæpè. Robertus Cardin. Bellarmin. lib. 3. de morib. Eccles. cap. 14. Silvest. & alii Summistæ, verbo *Bellum*. Astesan. noster. lib. 2. tit. 64. art. 3. Bartholom. Mastrius in Theolog. moral. disp. 10. q. 14. art. 2. & consentiunt quiqui alii de hoc subiecto aliquid ediderunt.

Ut vero assumpta thesis luculenter appareat; plura disquirenda sunt, quæ ad Authorem aggressivi belli justi, vel iniusti dignoscendum plurimum conducunt. Ex quibus an Augustissimus Cæsar hujus funestissimi belli Author justè, vel iniustè illud intulerit facile erit colligere, ut jam videbimus.

§. I.

Authoritas ad bellum offensivum inferendum expenditur.

1. Consulto diximus ad bellum offensivum: nam ad defensivum quævis privata authoritas sufficit. Privatus enim quivis, dum injustè impetitur,

aut lacessitur, arma defensiva capere potest, etiam absque Principis authoritate. Quia ad justam defensionem ipsa juris naturalis primæva lex in uniuscujusque animo indelebilibus notis insculpta authoritatem præstat; *leg. ut vim ff. de just. & jure. leg. furem. ff. ad leg. Cornel. de Sicar. leg. Itaque ff. ad leg. Aquil. cap. Olim.* 1 *.de restitut. spoliator.* Consulantur Victor. Mollin. Bannes, Amic. Gaudent. Mastri. Barbos. Gonzalez, & alii, quos nuper allegavimus: quibus unanimi suffragio concordant reliqui Theologi, & Canonistæ. Attamen ipsi bellum aggressivum, seu offensivum inferre minime licet. Nam, ut ex communi opinione discurrit Illustriss. Episcop. Segobiens. D. Didac. de Covarru. rubric. in Regul. *peccatum* antea citatam p. 2. relection. §. 9. in principio; privatus *Superiorem habet, apud quem possit injuriarum agere, resque proprias ab alio captas exigere*. Et, quod potissimum est, *Principi, cujus imperio subditus est, injuriam facit, si eo invito, vel absque ejus authoritate bellum alteri indixerit*. Idcirco Plato lib. 12. de legib. capitis pœnam in eos dixit, qui, publica authoritate posthabita, belli, aut pacis jura usurparent. *Si quis privatim sine publico scito pacem, bellumvè fecerit, capitale esto*. Apud Romanos, quandiu Respublica constitit, pęnes Senatum Populumque Romanum fuit pacis, & belli arbitrium. Nec bellum credebatur sed latrocinium, Senatu non authore, susceptum, in eoque militantes non æstimabantur milites, sed prædones, Ulpiano teste in

lege

lege *Hostes ff. de captiv.* ibi: *Hostes sunt, quibus bellum publicè Populus Romanus decrevit, vel ipsi Populo Romano, cæteri latrunculi, vel prædones appellantur.* Translata postea in Cæsares rerum summa, leg. Juli. Maiest. statutum est, ne quis sine Principis authoritate bellum indiceret, aut exercitum compararet. *leg. 3. ff. ad leg. Jul. Majest.* cujus meminit Dio Cassius lib. 53. ibi: ***Hæ vero leges omnibus ex æquo provinciarum rectoribus factæ; nequem delectum militum agerent.***

2. Hinc manifestissimè elicitur, Respublicas, vel Principes supremos nullum in terris Superiorem agnoscentes justissimo titulo, ad arma confugere, cum defensio status, rerumque suarum, super quibus iniquè vexantur, id postulat. Nam si privatus iniustè pulsatus illatam vim repellere potest, servato moderamine inculpatæ tutelæ; potiori titulo id poterit Respublica, vel Princeps Supremus, qui neminem habet, à quo tuitionem jure sperare debeat. Justissima ergo ea bella sunt, quibus Respublicæ, vel Principes hujusmodi iniquè tractati se se ad meram defensionem obarmant. Ut propterea vel ipsi, qui sola imperii dilatandi libidine finitimas gentes bellis percellunt, hoc specioso defensionis colore injustos impetus, & violentos conatus tingere, & honestare utcumque desiderent, ut satis perspicuè apparet Judith. 1. Etenim Nabuchodonosor Assyriorum Rex universo cupiens Orienti jus dicere, nuncios misit, per quos à Regibus, & liberis Populis

obe-

obedientiam exigeret, & vectigal: quibus sine munere dimissis, & sine honore rejectis. *Indignatus Nabuchodonosor Rex* (inquit sacer contextus) *adversus omnem terram illam, juravit per thronum, & regnum suum, quod defenderet se ab omnibus regionibus his.* Et, quod magis est, hoc nequissimum bellum, quod nulla æquitatis umbra poterat honestari, accitis consiliariis in pleno concilio defensivum diffinitur. *Factum est verbum in domo Nabuchodonosor Regis Assyriorum, ut defenderet se. Vocavitque omnes Majores natu, omnesque Duces, & Bellatores suos, & habuit cum eis consilium mysterii sui.* Quodnam mysterium? *Cogitationem suam in eo esse, ut omnem terram suo subjugaret imperio.* Judith. cap. 2. Ecce mysterium consilii: Tyrannus Rex bellum offensivum, & injustum confinibus Regibus, & Principibus illaturus; cujus injustitiam in arcano consilii sui volens nolens fatetur, siquidem præfatur. *Cogitationem suam in eo esse, ut omnem terram suo subjugaret imperio.* Innocentissimo defensionis velamine obumbrari, aut amiciri amabat, & ubi nulla injuria præcesserat, propriæ tuitionis causabatur prętextum, sciens vel hoc solo titulo injustissimam aggressionem specietenus honestari.

3. Cæterùm offensivum bellum indicere justè, & licitè, etiam data justa causa, nemo potest præter Principem, qui nullum in terris temporalem Superiorem agnoscit, nisi inferiori per superiorem, ut præfertur, ab-

absolutum, & independentem sibi belli indicendi potestas facta sit. Hoc pari procedit incessu, sive suprema potestas in uno resideat, prout in Monarchia, sive in pluribus, ut in Aristocratia, vel Democratia: semper enim verum est, quod bellum indictum ab his supremis potestatibus ex defectu authoritatis injustum non erit, quinimo, cæteris concurrentibus, justum reputari debeat in his, quæ positivè, aut negativè ejus jurisdictioni subjaceant: de quo postea. Id docuit D. August. lib. 22. contra Faust. cap. 74. & D. Isidor. lib. 18. Etymolog. & habetur cap. *Quid culpatur.* 23. q. 1. cap. 1. 23. q. 2. leg. *Hostes ff. de captiv. & postlimin. revers.* leg. *Hostes ff. de verbor. significat.* Adnotavit Doct. Angelic. 2. 2. q. 40. art. 1. ibidem Caietan. & Banes. insuper Caiet. tom. 2. opuscul. q. ult. Innocent. in cap. *Olim.* 1. de restitut. spoliator. & in cap. *Sicut* de jureiurand. ibidem Panormit. cum aliis pluribus n. 7. Hadrian. in 4. sentent. tract. de restitut. Silvest. verbo *Bellum.* Maior in 4. sentent. d. 15. q. 20. Alphons. à Castro lib. 2. de justa hæreticor. punit. Joannes de Lignan. in peculiari tractatu de bello cap. 13. Cardinal. Turrecremat. in cap. *Quid culpatur.* Augustin. Barbos. & abeo collecti in prætermissis, & additis ad cap. *Justum.* 23. q. 2. Oldrad. cons. 70. Joan. And. cum multis aliis in cap. 1. de homicid. lib. 6. D. Emmanuel Gonzal. in cap. *Sicut* de jureiurand. Joannes Eckius homil. ultim. Dominic. 3. post Epiphan. Ludovic. Molin. Amic. Thomas Tamburin. Mastrius, Gaudent. & alii in-

innumeri in decursu citandi, quos, ne in re cuique obvia multus sim, sigillatim laudare non duxi.

4. Naturalis ratio id ipsum manifestè persuadet. Quia ex probata maxima Aristot. 3. Politicor. unaquæque Respublica sibi sufficiens esse debet; sed minimè sibi sufficeret, si non haberet jus distringendi gladium in externos malefactores, repetendo quæ ab eis iniustè ablata sunt, & iniurias sibi illatas ulciscendo; cum nullus sit in terris communis Superior, qui vindicare huiusmodi iniurias possit, & quo coram reus conveniatur: Reipublicæ igitur est bellum indicere. At quidquid authoritatis in Republica erat, in Principem, si ipsi Respublica succollavit, lege regia translatum est; ipse enim gladium Reipublicæ portat, & vibrat: ut propterea dixerit gentium Doctor ad Rom. cap. 13. *Non sine causa gladium portat, Minister enim Dei est, vindex ad iram ei, qui male agit.* Author ergo belli aggressivi indicendi Princeps est nullum cognoscens jure temporalem superiorem.

5. Diximus nuper, quod bellum, hoc authore, indictum, justum debeat reputari cæteris concurrentibus, in his, quæ positivè, aut negativè eius jurisdictioni subiaceant. Quia ex duplici veluti fonte dimanat, quod Princeps legitimè bellum indicat; vel quia positivam habet facultatem puniendi, ut contingit dum perduellionibus subditis bellum infert; ij namq; licet de facto jugum excusserint; de jure tamen subditi sunt: atque adeo, ea, quam à Republica in omnia mem-

membra assecutus est, potestate ipsos compescere, coercere, & male mulctare potest. Vel quia is sive Princeps, sive Respublica, à quo injuriam passus est, nullum superiorem habet; & in hoc eventu negativè dumtaxat belli indicendi facultatem nanciscitur, videlicet; quia nullo existente superiore, ad quem ipsum deferat, per accidens, & ex alterius defectu, judicis, & executoris personam assumit: causæque cognitione præmissa, sententiam dicit, & ad executionem, quæ ipsi possibilis est, se accingit, bellum indicens, & re ipsa exequitur dum bellum infert: ut pulchrè observat P. Ludovic. Molin. de justit. & jure disp. 103.

6. Cæterùm si Princeps, vel Respublica suprema, & independens injuriam pateretur ab aliquo alterius Principis, vel Reipublicę privato subdito, nullam directam belli movendi potestatem haberet. Etenim privatus ille offensor judicem certum, ac indubitatum habet, ad quem deferatur; deferrique deberet; quod si, veritate perspecta, proprius superior detractaret vindictam, tunc & non antea bellum posset indicere ob injuriam denegatæ justitiæ, quam denuò patitur à Principe, superiorem non habente, in cujus defectum judicis personam in iniquum judicem negativè, & per accidens assumere potens est, ex dictis paulò ante, numero scilicet præcedenti.

7. Id quod de personis certissimum, & incontrovertibile est, suo quoque modo ad res extendatur oportet. Nimirum si Principi exscripto quantumque supre-

D mo

mo disceptatio contingeret de re constituta in alterius Principis supremi jurisdictione, aut dominio, ut de feudo alicuius Civitatis, vel Provinciæ; non posset aut positivè, aut negativè bellum indicere, & armis feudum sibi vindicare; non positivè, quia extra proprium territorium jusdicere nequit ex vulgari juris regula. *Extra territorium jusdicenti non paretur impunè*. de reg. juris lib. 6. Non negativè, quia cum sit judex certus, quo coram disceptare, & jus suum experiri possit, tenetur ad eum recurrere; proptereaque personam judicis assumere nequit, quoadusque iniuria ab hoc supremo judice afficiatur; qualis foret, si contra manifesta jura feudum alteri adiudicaretur. Tunc namque cum non supersit alius judex, quem appellare possit, per accidens, & negativè judicis in gradu appellationis personam assumit. Hoc posterius ex ante dictis satis liquescit; prius manifestè probatur argumento Cap. *Tuam non credimus. de ordin. cognition.* & cap. *Causam. qui filii sint legitimi*.

8. Sed & experientia ipsa comprobatur. Siquidem Augustiss. Cæsar, cuius authoritas inter liberas, & independentes primum locum obtinet, de feudo Regni Neapolis judicium introduxit in Romana Curia. Quia cum Summus Pontifex, sub cuius supremo, & altiori dominio hoc regnum consistit, sit judex privativus hujusmodi feudi Romanam Ecclesiam respectantis; quæcumque de eo emergens disceptatio in eius Tribunali agitari debet. Hoc exempli gratia dictum sit: nam

re

re bene inspecta, nulla in huius feudi successione videtur posse contingere de jure controversia ; cum luce clarius appareat ex contextu investituræ, Regi Catholico Philippo V. successionem fore deferendam;de quo suo loco . Et (ut obiter hoc insinuemus) Augustissimus Cæsar boni litigatoris metas transiliit, dum animis ad defectionem solicitatis, armis, quam jure, & armis, præ jure controversiam amavit perimere, executor sententiæ nec eatenus latæ, nec (ni me mea fallit opinio) unquam pro Austriacis ferendæ; quod tanti Monarchæ, meritò cunctis suspiciendi, pace dictum velim.

9. Ex his, quæ hic tantummodò libavimus, eius exactiorem indaginem alio reservantes, elicimus,quod quamvis authoritas Augustissimi Cæsaris ea sit, qua in temporalibus superiorem non agnoscamus; imò inter absolutas,& independêtes prima,& potissima, non propterea credendum statim est, quodcumque bellum eo Authore illatum, etiam ex justa causa, ex capite Authoris justitiam præseferre: potest namque emergere controversia, in qua nec positivam, nec negativam facultatem diffiniendi sortiatur : atque ideo in alio tribunali jus suum experiri compellatur, vel ratione personarum, à quibus, vel ratione rerum, in quibus injuriam passum esse prætendat. Quod ut radicitus edisseramus ad ulteriora procedere necesse est.

§. II.

Regna Monarchiam Hispanicam principalius constituentia a Romano Imperio prorsus libera sunt.

10. CUm plura sint in Europa Regna libera, quæ Sacrum Romanum Imperium venerantur quidem, sed neutiquam recognoscunt; necessario, & consequenter asserere debemus, inter eorum Reges, & Imperatorem, quoad belli offensivi indicendi authoritatem, nullum omninò assignari posse discrimen. Sed sicut cæteri Reges liberi, & independentes, ratione rerum, vel personarum, sub dominio, aut jurisdictione Sacri Romani Imperii sitarum, nequeunt nisi per accidens, & in casu denegatæ manifestè, & palàm justitiæ, judicum personam induere, nec per hostilem belli executionem res, quas ad se pertinere arbitrantur, vindicare: consimili, aut eadem ratione, id ipsum de Imperatore sentiendum sit. E regione, in illis casibus, quibus Cæsar potest ratione authoritatis positivæ, vel negativæ, per se, vel per accidens bellum denuntiare, inferre, prosequi; posse & prædictos Monarchas ab Imperio independentes, qui in Regnis suis, quoad independentiam à superiori potentia, Imperatores sunt. Inter hæc liberrima, & juris sui regna, quibus nihil est cum Romano Imperio

rio commune, antiquissima, & justissima exemptionis prærogativa unum est Regnum Hispaniæ; prout rejecto illo futili fundamento, quod Imperator sit Dominus Orbis, probant Cardinal. Turrecremat. cap. *In apibus*. 7. q. 1. col. 1. & 2. Petrus, & Joann. Fab. in leg. 1. C. de Summa Trinitate, & in leg. *Benè a Zenone C. de quadri. præscript.* Fulgos. eadem leg. C. de Summa Trinit. Oldrad. consf. 69. Joann. Igne. Senator Mediolanens. in quæst. *An Rex Franciæ recognoscat Imperatorem*? Cassanæ. in cathalog. gloriæ Mund. p. 5. considerat. 28. Alciat. in citat. leg. 1. C. de Summ. Trin. Et fusè, solidè, ac eruditè ex Theologis nostris Dominic. Soto lib. 4. de just. & jure q. 4. art. 2. ex Canonistis Illustriss. Covarru. in relectione laudata ad regul. *peccatum* part. 2. §. 9. ubi perspicuè, & efficaciter contraria momenta prorsus enervant; & Augustin. Barbos. in Collectan. ad cap. *Hadrianus* 22. dist. estò magis concisè, non minus solidè: ex Historicis Marian. & Garibai. in Ferdinand. I. Huic veræ sententiæ favet expressè glos. in cap. *Hadrian.* 63. dist. glos. in text. *& si necess.* de donat. inter vir. & uxor. & ex his aliisque momentis latè prosequuntur Joann. Lup. de Palat. rub. introduct. ad repetition. de donat. Gasp. Lusitan. in *l. Imperium. ff. de jurisdict. omni judic.* & plenissimè Valdes. de Reg. Hispan. dignit. cap. 18. per totum.

11. Hæc Hispaniarum libertas nedum puta, & pura authoritate, verùm & ineluctabilibus fundamentis fulcitur. Primo quidem, quia Imperator Honorius

rius

rius donavit Alarico Vvisigotthorum Regi Gallias, & Hispanias, quas jam ferè perdiderat, cum eas Suevi, Alani, Silingi, Vvandali, & aliæ barbaræ gentes armis occupassent, nec eas recuperandi ulla affulgebat spes; ut ultra montes Gotthos amandaret Imperio imminentes, & difficili hoc bello irretiret, Italiamque, & convicinas Provincias ab eorum incursibus liberaret; Nec in hac donatione aliqua servitutis, vel recognitionis Sac. Rom. Imp. conditio intercessit, sed prorsus ingenua, & libera fuit. *Cui* (Honorio) *ad posterum sententia sedit, quatenus Provincias longè positas Gallias, Hispaniasque, quas jam pęnè perdiderat, & Gizerichi eas Vvandalorum Regis vastaret irruptio, si valeret Alaricus, sua cum gente sibi tanquam lares proprios vindicaret. Donatio sacro oraculo confirmata. Consentiunt Gotthi hac ordinatione, & ad traditam sibi Patriam proficiscuntur*: ait Jornandes de rebus Getic. cui consonant Paul. Diacon. Hist. miscellan. lib. 13. Carol. Sigon. de Occident. Imper. lib. 10. Joann. Cuspin. de Cæsarib. Roderic. Tolet. de reb. Hispan. reliquique Historiographi nostri, quos recensere operosum esset.

12. Subinde, cum Stiliconis astu, & malitia Imperiales legiones Gotthos ad donatos sibi lares pacificè profectos intercepissent, & Alaricus fremens ac ruinas, & excidia spirans, & ubique exercens, pedem ab incepto itinere retraxisset, universam pęnè Italiam subjugasset, & Romam ipsam Imperii caput diripuisset; Ho-

Honorius Athaulpho Alarici ad Cossentiam fato functi Successori, Placidiæ sororis sponso, & ipsius Placidię precibus, blanditiisque delinito, onero so intercedente contractu, non jam libera donatione, Gallias, & Hispanias denuò concessit. Videlicet. Athaulphus Imperatori pacem, & Italiam, quam ob violatam fraude Stiliconis fidem justissimè Gotthi quæsierant, concessit, sub ea lege, ut Honorius Provincias aliàs sibi, gentique suæ concessas, expugnandas dederet: quæ prout conventa fuerunt, ex fide gesta sunt, ut testatur Joann. magn. Gotthic. hist. lib. 15. his verbis. *Honorio Imperatori libertatem, & pacem concessit* (Athaulphus) *Romamque, & totam Italiam, quam in manibus habebat, ei per summam, & nimiam amicitiam, ac liberalitatem restituit. Itaque constituta cum Honorio pace, Italiaque relicta, Athaulphus tota Gotthorum gente comitatus in Gallias transitum acceleravit.*

13. Ab Athaulpho usque ad Rodericum ultimũ Gotthorum, sub hoc nomine, in Hispania Regem, quidquid in his regionibus Gotthi occuparunt, absq; ullo erga Imperium recognitionis argumento possederunt; imo quid quid sub Imperii devotione, Svevorum, & Alanorum retusis impressionibus, perseveravit, Gotthi Reges suo titulo freti subiugarunt, quoadusque universas Hispanias, Romanis pulsis, Alanis fugatis, Svevis extinctis, in suum dominium transtulerunt. Tantumque abest, quod Romano paruerint Im-

pe-

perio, ut potius quadam generosa æmulatione Imperatoriam Majestatem in habitu, in throno, in Regia, in comitatu, in agnomine ostentare gestierint, ut vel ipsis mutis testimoniis se non ab Imperio dependere, sed novum constituisse quodammodo Imperium comprobarent. Idcirco inductus purpuræ usus: thronus eburneus, & aureus: Principes à latere Monarchæ Comites Palatini dicti: Regia Urbs Roma, ut in Procem. codicis fori judicum.leg.1. Reges ipsi Flavii prænominari ambierunt. Quæ, & in Toletanis Conciliis obvia sunt, & ab Historiographis nostris observantur, & inter alios adnotavit exornatissimus Eques D. Didacus de Saavedra Faxardo Coron.Gotthic.p.1.cap.15. in Recaredo, post Marian.hist.Hisp.lib.6.cap.15.

14. Rursus. Quando non satis esset hæc originaria exemptio, & libertas ad constituenda Regna Hispana à Sac. Rom. Imperio independentia, quæ procul dubio in omnia Gotthorum jura succedere; ineluctabili convincitur argumento quod insinuat Regia lex nostra 18. partit. 1. tit. 5. nempe. Hispaniis per Arabas ingenti rei Christianæ jactura quaqua versùm occupatis; Reges ipsi ab Hispanis electi ex Gotthici sanguinis reliquiis, bellica virtute, & sine Sac. Roman. Imperii subsidio, pristinos lares vindicarunt: ac post juge octingentorum annorum bellum, in quo inenarrabilia facinora ediderunt, plures sanguinis rivos effuderunt, aut elicuerunt, immensa pericula, & labores exantlarunt, tandem, Deo auspice, sub Div. Jacobi

cobi ducatu, non sub Cæsarum patrocinio, Agarenos pepulerunt, & ad transmarinas, unde venerant, provincias amandarunt. Sed quis Cæsar tam piæ causæ operam impenderet; cum irruptio Mahumetanorum contigerit anno Christi 714. vel circiter, quando Græci Romanum Imperium administrãtes non Christiani nominis, & Ecclesiæ defensores, sed hostes esse cæperant; adeò ut Ecclesia eorum patrocinio diffidens sui protectionem cum Imperatorio titulo, & dignitate Carolo Magno commendaverit? Cum ergo tunc temporis Cæsares nec auxilium pręstiterint, nec essent in apparatu illud præstandi, quo Hispaniæ à tam infanda clade, & ruina convalescere posset; locum habet, ut probè animadvertit Barbos. loco superius laudato, celebris doctrina Baldi in cap. 1. *De Judic.* quem sequitur Almain.de potest.Pap.cap.15.Navarr. in cap. *Novit.de judic.*notab. 3. num. 115. *Si non est spes, quod superior defendat Civitatem, vel non est in apparatu id faciendi, potest se Civitas subdere alteri, & etiam pro consecutione accipere unum Regem, cui se subdat; & hoc conceditur jure naturali.* Quamvis ergo permitteremus (id tamen constanter negamus) Sceptrum Gotthicum aliquomodo ab Imperio dependisse; cum Hispani in ea miserenda calamitate nihil auxilii, nihil virium ab Imperatore acceperint; sed nec sperare poterant; propriæ tuitionis ergo Astures Regni Casteliæ, & Legionis prima fundamenta jecerunt, salutato Rege Pelagio: quos imi-

tati Navarræi Regno Aragoniæ præluserunt, sublimato Garsia Eximenio. Quid in his suscitatis Regnis contendere posset Græcum, seu Orientale Imperium? planè nihil. Siquidem constituta sunt à Republica suę primævæ, & ingenitæ libertati restituta, vel ex Imperii oscitantia, vel impotentia. Si nihil Orientale, nihil Occidentale, seu Germanicum, cujus constitutio Regnorum illorum liberam erectionem supponit.

15. Hæc ratio, reverà efficacissima, nulla tergiversatione potest eludi, ex quo ejus efficacia à Romana Ecclesia recepta, & probata est. Nam temporibus Ferdinandi Magni, seu primi Castellæ, & Legionis in simul Regis, Henricus secundus, aliis tertius, Imperator Legatos misit ad Patres Concilii Turonens. Victore secundo sedente, celebrati sub præsidentia Hildebrandi S. R. E. Diaconi Cardinalis, qui postea ad Cathedram Pōtificiam evectus dictus est Gregor. VII. ut Ferdinandum prædictum postularent de usurpato Imperatoris Hispaniarum agnomine, quodque Imperio Romano parere detrectaret, quod citra contemptum Cæsareæ, quam gerebat, Majestati, imò sine rebellionis labe, fieri posse, non credebat. Patres, quibus primo conspectu satis honesta visa est postulatio, Ferdinando, intentato anathemate, Imperatorium nomen inhibuerunt, & Imperio subdi præceperunt: at ipse rei conscius, paratus ore, & manu Regnorum suorum libertatem asserere, Oratores misit Summo Pontifici, & interea ingentem exercitum comparavit,

cui

cui præfecit Rodericum Diaz Vivarium illius ævi ſtrenuiſſimum Ducem, ſingulariſſimumque Mahumetanorum debellatorem, qui quoties bellum commiſit, (commiſit verò frequenter) toties triumphavit. Oratores expoſita commiſſorum ſumma obtinuerunt, quod Rupertus S. R. E. titul. S. Sabinæ Presbiter Cardinalis ſe Toloſam conferret, ubi auditis etiam Imperatoris Legatis, controverſia diffiniretur. Toloſæ cauſa hinc inde acerrimè uſque ad aras, & focos diſceptata, pro Hiſpanis pronuntiatum eſt, ut omnes Hiſtorici noſtri aſſeverant, ſignanter Marian. & Zamalloa in Ferdin. I. & ex exteris moderne Natal: Alexand. Hiſt. Eccleſiaſt. Sæcul. xi. & xii. cap. xi. *De Regib. Hiſpaniæ.*

16. Hæc cum ita ſint, vehementer admiror Eminentiſs. Cardinalem Baron. quem tranſcripſit Philippus Labæus in Concilio Turonenſ. contrarium aſſeruiſſe, ſcilicet Hiſpanum Regem cauſa cecidiſſe, & à titulo Imperiali abſtinuiſſe, Romanumque Imperium recognoviſſe. Enimvero, quando Hiſtoricis contrariū aſſerentibus fides deneganda ſit; adhuc duo ſuppeditant, alterum hiſtoria, alterum purpuratus ipſe fundamenta, quibus contrarium contigiſſe credamus. Primum quod tàm Ferdinandus ipſe, quàm ejus filius Alphonſus VI. & Alphonſi gener Alphonſus Aragonius jure Urracæ uxoris Caſtellæ Rex, & pronepos Alphonſus VII. idem Imperiale agnomen continuarunt, ſecus facturi, ſi Ferdinandus victus fuiſſet; idque non Hiſtoricorum tantum fide, ſed complurimis

authenticis documentis, ac diplomatibus horum Regum exploratum habemus. Secundum, quod ipsemet Eminentiss. Annalista ad annum Christ.701: 15.16: & 17. contendit Hispanias juris Ecclesiæ antiquitus fuisse, & ad hoc suadendum inducit quandam epistolam Gregor. VII. quod male cum supradictis cohæret, si enim Hispaniæ vectigales Romanæ Ecclesiæ fuerũt, qui fieri potuit, quod Rupertus Cardinalis pro Imperio pronuntiaverit? vel quomodo Gregorius, qui dum Cardinalis erat, in Concilio Turonensi Imperatoris querimonias justas reputavit, & decisionem factam Tolosæ ignorare nequivit, Regnum Romano Imperio vectigale, patrimonii S.Petri assereret, & tanquam de Regno Ecclesię clientelari disponeret, in eo permittens M. de Roceyo provincias à Mauris occupatas vindicare sub Romanæ Ecclesiæ clientela? Hæc certè sibi ipsis contradicunt. Propterea quod Historici nostri asseverant, certius existimo.

17. Tandem eadem exemptio, & libertas ex ipsa Romano-Germanici Imperii constitutione non obscurè deducitur. Etenim in eo tres in perpetuum destinati sunt Cancellarii, Archiepiscopi electores, Coloniensis, Trevirensis, & Moguntinus, primus pro Italia, secundus pro Francia, postremus pro Germania, ut advertit Natal.Alex.tom.6.f. 377. si Hispania Romanum Imperium respectat, ubi est Cancellarius pro Hispania? At nec actu, nec habitu Cancellarius ipsi destinatus est, quia nunquam à temporibus Pela-

gii

gii Germanico Imperio subjacuit.

18. Idcirco ea sententia, quam mordicus tuitus est Barthol. in leg. *Hostes*.ff.de captiv. n.7. ut contrariam non dubitaverit hæreseos taxare, nempe quod Imperator sit Dominus totius Orbis, licet aliquando plausibilis fuerit per *Glos. in leg.benè a Zenone.C.de quadri. præscript.* & cap. *per Venerabilem. Qui, filii sint legitimi*, & cap. *Venerab. de electione*. Et post Barthol. nedum eo loci; sed in extravagant. *ad reprimendam*, verbo *totius Orbis*. tenuerunt Bald. Jass. Paul.& Salicet. ad citatam l. 1. C. de Summ. Trinit. eamque communem fateatur Castald. in tract. de Imperat.q.55. hodie communi calculo rejicitur, nedum ob indubitabilem ingenuitatem Regni Hispaniæ, sed etiam Franciæ, quam strenuè defendunt Joan. Igneus. Cassanæ. Castald. & alli, in quibus Hug. id deducit ex cap. *Quod Clerici. de for. compet.* & cap. *Hadrianus.* 63. dist.& ex Hugon. transcripsit Cardinal. Jacobat.in tract.de Conc.lib.3. fol.mihi 93. versiculo. *Nec etiam Imperator*.

19. Et re benè considerata, vel ipsi Authores, quos pro contraria sententia laudavimus, hanc exemptionem non diffitentur; nam licet asserant Imperatorem esse totius Orbis Dominum; id intelligunt de jure loquendo, non de facto; ut observat Aug. Bárbos. in cap. *Hadrianus* supra citatus; de facto autem plures eorum Regibus Hispaniæ, & Franciæ, ex quo sunt in annosissima, & nunquam turbata hujus libertatis possess-

sessione hanc independentiam non negant. Porrò *ad obedientiam* (inquit Cardinal. Jacobat. loco paulo ante allegato) *inspicitur possessio, & non merum jus leg. 1. C. de Summa Trinit. Bald. in cap. Olim. de rescript.* Imò gaudent præscriptione tanti temporis, cujus initii memoria non extat. Quo ex principio hanc de facto exemptionem optimè colligi, fatetur Petrus de Mont. in sua Monarch. ex Barth. & aliis, quos pro opposita sententia laudaverat, his verbis: *Licet tamen ista sint de jure; tamen Rex Franciæ, & Hispaniæ, & multi alii Principes, & Populi non recognoscunt Imperatorem Dominum, allegantes exemptionem, & præscriptionem tanti temporis, cujus memoria initii non existit; quæ præscriptio satis videtur hoc casu habere locum.* Ipsi consonant Felin. in cap. *Cum non liceat. de præscript.* Anton. Corset. in tract. de excellent. Reg. qui subjungit esse communem opinionem; & Aymon. in tract. de antiquit. tempor. 4. p. versic. *Materia ista* nu. 73. quos ad hoc institutum inducit Covarr. in calce prælaudati §. 9. Quin obstet, quod præscriptio currere nequeat contra supremam potestatem Imperatoriam, ut quidam voluerunt: quia hoc ad summum procedit in privatis; minimè tamen in Regno, Provincia, Civitate, ut notavit Archidiac. cap. *Placuit* 16. *q.* 3.

20. Vereor, nè diutius, quàm parerat circa hoc subjectum me immoratum, quispiam opinetur; sed si intentè animadvertere dignetur, quanta Austriaca domus contra Hispanicæ Monarchiæ jura, libertates, digni-

gni-

gnitatem, post cæptum bellum attentaverit; non frustra, aut insulsè hæc disceptasse comperiet. Primò enim obtinuit, quod Principes Imperii hoc bellum Imperii bellum declararent. Hanc declarationem dùm attentè expendo, ex nullo alio principio derivare posse existimo, nisi quod Augustissimus Cæsar, ut causam Imperii faciat, quæ dumtaxat concernit privatum Austriadum interesse, obsoletam illam Bartholi opinionem renovare velit, & inanem, vel chimericam depēdentiam Hispaniarum à Romano Imperio suscitare; ut hac larva judicium hujus controversiæ sibi arrogare honestius possit, vel Principes ab Imperio moventes armis suis fęderare, quibus brevius, & facilius sententiam dicat contra Regem Catholicum. Deindè Serenissimum Archiducem Hispanicæ Monarchiæ successorem declaravit, & tanquam Hispaniæ Regem colendum decrevit. Quo jure? nisi Cæsares habeant supremam in hac Monarchia potestatem, planè nullo jure id potest, & perinde erit Serenissimum Archiducem, Hispanorum Regem renuntiare, ac si Ægypti Sultanum, vel Orientalis Imperii moderatorem, aut Persarum Regem instituerent. Tertio Regem declaratum solemnissimè de Regno per Sceptrum, & Coronam investivit. Et quidem, quando jus Serenissimi Archiducis foret indubium, ipsum purpurea chlamyde induere, in throno statuere, manum sceptro, tempora diademate, latus ense ornare, munera sunt Hispanorum, non Germanorum Principum. Nisi velit Augu-

stis-

stissimus Cæsar Hispanis Monarchis, quorum dominium decuplo majus est Romano Germanico Imperio juxta præsentis temporis metas, potiùs mimice, quam serio diadema imponere, prout Cajus Agrippæ, & Nero Tiridati Regibus vectigalibus imposuere. Sed magis mirandum est, quòd tanquam si hoc proęmio Hispanam Gentem immenso affecisset honore, jura, libertatem, dignitatem coronæ vulnerando, vel conterendo; eam sibi devinctissimam existimet, & tantopere ejus benevolentiam Domui Austriacæ conciliatam, ut statim, ac Serenissimus Archidux oras appellat Athlantici, dominationem Catholici Regis excutiat; credere renuens in hujus speciosissimi Regis Imperio justitiæ, & amoris, non aliis vinculis contineri.

21. Sed quamquàm cum Hispanis iniquè actum sit; iniquius, ut puto, actum est cum Serenissimo Archiduce. Quid enim aliud hæc scenica inauguratio ipsi producere poterat, quàm omnimodam illius gentis abalienationem? quæ si prius ex affectu justitiæ, & fidelitatis ejus successioni dumtaxat resistebat; novo hoc nomine resistere enitetur, quod non, nisi imminuta Majestate, & calcatis juribus Monarchiæ, regnare possit; imò ejus dignitatem, & ingenuam libertatem anteà calcari, & proteri passus sit, quam verosimilem succedendi spem concipere potuisset. Sed quis non videat, Cæsarem ab Anglis inductum, & ut ipsis morem gereret, hæc attentasse? Hi enim videntes Regem

Chri-

Christianissimum Serenissimum Vvalliæ Principem primogenitum Jacobi II. Regem Angliæ cognovisse, hac comica coronatione, Franciæ, Hispaniæ, & Ecclesiæ illudere inhiabant, & ad contemptus incrementum, summa Cæsaris authoritate in ejus, & omnium Catholicorum propudium, sugillare gestierunt. At quantum in utroque casu discrimen! Rex Christianissimus agnovit Angliæ Regem eum, quem jus geniture, jus commune, jus Angliæ ad coronam invitant, Principem in Religione Catholica educatum, & ex Catholico Rege prognatum, Ecclesiæ addictissimum, eoque hæreticis infensissimum, nec alio, quam Catholicæ professionis titulo exclusum, vel excludendum. At Augustissimus Cæsar, nedùm cognovit, sed inthronizavit, & corona cinxit Principem, quem jus genesis, jus commune, jus Regium posthabent, contra Principem ab omnibus his juribus legitimè vocatum, à Subditis expetitum, ab antecessore Rege, prævia jurium discussione, delectum, Catholicum, & Catholicæ Fidei defensorem acerrimum, prævio fidelitatis communi juramento, in solio firmatum, & in legitima possessione constitutum. Videat æquus Judex ne omnia sint paria? Et mecum sentiat, nullus dubito, Deum, in cujus manu sunt omnia jura regnorum, non Carolum Archiducem, sed Philippum V. in avito throno conservaturum, quem non corona ex auro Tocaii conflata, sed Indico Hispano afabrè exculpta, Hispanisque gemmis, & lapillis collucenti, pacificè redimiri disposuit.

§. III.

Augustissimus Cæsar præposterè Regi Catholico bellum intulit.

22. Vidimus Augustissimum Leopoldum, quà Imperatoriam gerit Majestatem, controversiæ, quam super successione Hispanæ coronæ movit Catholico Regi nostro Philippo ut Domus Austriacæ Princeps, judicem non esse, ob indipendentiam, qua à S.R.I. supremitate gaudet Hispania: atque adeò nec jure, nec armis eam dirimere valet. Videndum, num titulo Principis non recognoscentis superiorem cùm Principe pariter absoluto, & supremo, qualis est Hispanus Monarcha, possit jus suum armis persequi, & Monarchiam in Martis judicio licitè sibi vindicare? Non posse, saltem, priusquam jura experiatur, mihi certissimum est. Unde statim colligitur, præproperè, & intempestivè ad arma accurrisse, ac bello præpostero Philippum Regem Catholicum fuisse aggressum: bellum namque, si foret excitandum, jurium discussioni succedere deberet, non anteire; quod cùm secus factum sit, ab Authore injustitiam haurit.

23. Etenim Princeps supremus, ut præmisimus, propterea adversus alium Principem absolutum, vel liberam Rempublicam justè arma movere potest, quia judicis munus assumit per accidens, & negativè, ex quo

quo is cum quo disceptat, judicem non habet, quo coram possit conveniri. Sed in specie nostra judex erat, ad quem jura sua Augustissimus Cæsar deferre posset: tenebatur igitur, priusquam ad arma recurreret, Regem Catholicum juribus convenire, non armata phalange impetere. In hoc syllogismo solum minoris probatio desiderari potest. Nam quod attinet ad majorem, nullus vel Theologus, vel Jurista, qui de bello scripserit, dubitat. Minorem autem plurima persuadent. Primum. Hæc cõtroversia agitat jura succedendi in Monarchia Hispanica, vacante throno per obitum Catholici Regis Caroli Secundi. Sed in hac specie ipsa Monarchia Rege orbata judex est, & facultatem habet decidendi de juribus ipsam prensantium. Quia quemadmodum, si nullus superesset ex vocatis per leges fundamentales, suam primævam resumeret libertatem, & omnimodam potestatem, quam à se abdicaverat, & in Reges transtulerat; eâdem ratione, dum non constat de legitimo Rege ob emergentem controversiam, ipsa diffiniendi facultatem nanciscitur. Ut oportunè tradunt Barcla. contra Monorchom. lib. 3. Hugo Grot. de jure bell. & pac. lib. 2. cap. 3. nu. 27. saltem quando de primæva populi voluntate quæstio incidit; ut in præsentiarum incidere, ex dicendis obvium fiet. Franciscus Victor. in relect. de jure bell. num. 7. igitur coram judicibus per Regni comitia ad hunc finem cum plenissima pronuntiandi facultate destinatis, & electis causa disceptari debebat; priusquam

quam ad arma justus fieri posset recursus.

24. Confirmat hunc discursum exemplum Ecclesiæ. Summus Pontifex ritè, & canonicè electus non ab Ecclesia, sed immediatè à Deo accipit potestatem super universam Ecclesiam tàm quoad membra, quàm quoad capita, tàm super universam Ecclesiam, prout universa Ecclesia significat singulares Ecclesias per universum Orbem constitutas, quàm prout significare potest Ecclesiam universalem generali Concilio in Spiritu Sancto legitimè congregatam, juxta veriorem Polemicorum sententiam. Et tamen in casu dubii Pontificis, seu probabilis Schismatis, ad Ecclesiam pertinet dijudicare quis nam verus, & indubitatus habendus sit. Et si id decidi non valeat ob æquales facti probationes veritatem obscurantes, & intricantes, prensantes deponere, & quod nova electione ad indubitatum procedatur resolvere, sicut & verbis, & executione decisum est in Concilio Constantiensi. Fortiori igitur jure in consimilibus casibus id poterit Monarchia, à qua in Regem lege Regia omnimoda potestas, superioritas, & jurisdictio derivat. Quo argumento ad præsens institutum usus est ex Theologis nostris Gabriel Boyvin. part. 4. disp. 3. de charit. cap. 3. de vitiis charit. oppositis. q. 3. de bello. ubi in calce sextæ concl. hæc habet. *Quarto si post obitum Regis, quilibet hæredum prætendat successionem; tunc Respublica est superior, quæ litem dirimere debet, ut in Schismate Ecclesia.*

25. Nec

25. Nec deest ratiocinio nostro à sæculari politia subsidium. Enimverò controversia illa de successione Martini Regis in Aragoniæ corona elegantissimè illud illustrat, atque confirmat. Res sic accidit, prout Marian.hist. Hisp.lib. 19. cap. 20. Gariba. Beuter. Hieronym.Blanc.Zurita,& alii Aragoniæ rerum Scriptores in Ferdinand.I.seu honesto scripserunt. Defuncto sine legitima sobole Martino Aragonio, successionem suis respectivè juribus affectabant Ferdinandus Infans Castellæ, Martini ex Eleonora sorore nepos: Comes Fuxensis jure Joannæ Martini ex fratre neptis. Dux Andegavens. jure Violantæ consimiliter Martini neptis ex eodem fratre. Comes Urgelitanus duplici titulo, & quia regiæ agnationis erat, & quia Isabellæ Martini sororis, maritus. Dux Gandiæ, qui linea agnatica proprior erat regio stipiti, tamquam qui ex Jacobo secundo ducebat originem. Arma contendentes expedierunt, jamque irruere parabant, cum Aragonii jurium suorum retinentissimi, & nativæ libertatis vindices acerrimi, inhibito omnibus hostili ingressu, ad jura citarunt, & delectis novem viris, quorum tres ex ipsa Aragonia, tres ex Valentia, tresque reliqui ex Cathalonia, iisque omnimoda Reipublicæ authoritate instructis, in Caspensi munitissima ex situ, munita etiam competenti præsidiariorum numero arce, pro hoc celeberrimo judicio tribunal erexerunt. Ibique diutina discussione juribus examinatis, trutinatis, expensis, tandem ore D. Vincentii Ferrerii, qui unus

erat ex delectis judicibus, ſceptrum Ferdinando Caſtellano adjudicarunt, interea quieſcentibus competitoribus, & ſilentibus claſſicis, & quod fortè magis mirabere, poſt publicatam ſententiam nemine, ſi unum Urgelitanum excipias, cui arma ſilentium indixere, reclamante. Si ergo, univerſa Europa non ſolùm probante, ſed plaudente, Aragonia corona, una ex his, quæ Hiſpanam Monarchiam conſtituunt, in caſu controverſæ ſucceſſionis, judicis perſonam aſſumpſit, geſſit, nec armis, ubi juribus diſceptandum erat, locum fecit, ſuorum jurium vindex; eccur non deferamus hunc honorem, hanc poteſtatem in conſimili eventu integræ Monarchiæ? Cæſar ergo, qui à Ferdinando ipſo deſcendit, & in ejus locum filium ſubire deſiderabat, juſtius, & opportunius hoc experiri judicium, priuſquam enſem evaginaſſet, proculdubiò debebat.

26. Secundo eandem minorem principalem diſcurſus noſtri probat; quòd ſi hæc controverſia vivente Carolo Secundo agitata fuiſſet, juribus, & non armis decidi deberet: Nemo enim Regi facultatem denegare poteſt ad decidendam litem, quæ, ipſo conſentiente, inter prenſantes ſucceſſionem Regni potuit introduci: ſicut Cardinalis Rex Portugalliæ Henricus voluit ante mortem de ſui Regni ſucceſſione judicare; licet ob minime cohærentia judicum placita, quos varii affectus in varias partes diſtraxerant, prius vita exceſſerit, quam ſententiam pronunciaverit. At, Rege obeunte, Regia Dignitas non moritur arg. cap. *Quoniam*

niam Abbas de offic. & potest. judicis delegat. cap. *Si gratiosè* de rescript. perseverat ergo eadem judicandi facultas; non in Rege, quando non constat quisnam sit; ergo in Republica, cum enim suprema potestas esse nequeat inpendenti, necessario concedendum est reverti ad suum certum principium, & fontem, quoties non est certum subjectum, in quo resideat, aut Princeps, per quem possit exerceri: gladius enim Regis Reipublicæ est, & Reipublicæ nomine ipsum vibrat tanquam ministeriale ipsius Reipublicæ caput, atque adeo, eo deficiente, eo ipso Reipublicæ restituitur.

27. Urgetur hæc ratio ex eo, quod regna successibilia non sunt deterioris conditionis, quam eligibilia; inter ipsa enim ea solummodò considerabilis est differentia; quod successibilia ex pacto inito cum primo Rege, ab initio elegerunt familiam, seu ipsum & ex ipso descendentes. Eligibilia verò non familiam, sed personam; ex quo consequitur quod in his quoties deficit persona electa, toties innovant, & repetunt electionem; cùm in illis non sit locus novæ electioni quandiu familia electa perseverat; ut disserte animadvertit Hug. Grot. de jure bell. & pac. lib. 2. cap. 7. Sed in eligibilibus, obeunte Rege, rerum summa Reipublicæ restituitur, ipsaque in interregno resumit supremam authoritatem, & potestatem, & in electionis dubio ipsius Reipublicæ est ferre sententiam; ut in antiquo Romano Imperio palàm conspicitur, in eo enim Imperatore demortuo, penes Senatum Popu-

lum

lumque Romanum omnimoda residebat potestas;& modernius in Regno Poloniæ,cujus Respublica,throno vacante, omnimodam habet authoritatem, & de dubio electionis dijudicat; sicut modo de electione præsentis Regis Ducis Saxoniæ ex post facto decernere contendit, ingenti tamen rei Polonicæ jactura quia in factiones divisa gens auxiliares exteros Principes asciscens, patriam populationibus, incendiis, & militum rapacitati obnoxiam reddidit. Quid in ineligibilibus vel deficiente linea, vel dubio existente successoris jure, resumat Respublica pristinam potestatem, & de controversia dijudicare contendat?

28. Tertiò. Nam cum agatur de jure succedendi ad Monarchiam Hispanam, quæ majori ex parte in Hispanicis Provinciis consistit, & jurisdictio, seu regia potestas nequeat esse inpendenti; necessariò debet esse in ipsis Regnis Hispanicis facultas dijudicandi, alioquin ex doctrina Arist. jam laudata, Respublica ista sibi non sufficeret, & melioris conditionis forent privati quoad comparandam successionem, vel hæreditatem, quàm Principes: privati namque habent determinatum judicem; illum, scilicet, sub cujus jurisdictione res sita est.*leg.illic.C.ubi de hæreditate*,Barth. Cyn.Salicet.Bald. Castald.& alii collecti ibi à Barbos. & quod hæreditatis causa agitanda sit coram Præside Provinciæ, in qua major pars hæreditatis consistit; tradit Morl. in empor.juris civil.tom.1. tit.2. in præludio num. 148. & in specie successionis Majoratus, quod

quod causa proprietatis spectet ad illum conventum ubi major bonorum pars sita est, tradit Molin. de primogen. lib. 3. cap. 13. n. 73. Principes vero non nisi armis jus suum possent promovere: ex quo sequeretur, quod Princeps pauper clariori jure munitus contra potentiorem, esto exiliori juri innitentem, disceptans, necessario causa caderet; privatus vero etiam pauper adversus potentissimum adversarium consistere posset in arena, & bono jure favente, reportare victoriam. Non ergo hæc suprema potestas denegari potest Reipublicæ Rege orbatæ.

29. Roboratur hæc ratio ex eo, quod controversia circa successionem potest succedere inter Principes subditos ipsius Reipublicæ, ut nemo potest dubitare. Tunc quæro quis erit hujus controversiæ Judex? Sanè Respublica ipsa. Ergo Rege demortuo Respublica habet judicium in causa controversæ successionis; atque adeò regia facultas, quæ in Rege vivente poterat, partibus auditis, de Successore diffinire; ad Rempublicam devoluta est. Cum ergo controversia, inter exteros agitata, licet absolutos Principes, sit de re existente sub Reipublicæ jurisdictione, quamquam Principes subditi non sint ratione personarum; ratione rei de qua contendunt, ad effectum experiendi jura sua, necessario subduntur Reipublicæ; sicut in feudis passim contingere videmus, quæ Principes etiam supremi, & independentes in Tribunali supremi feudi Domini disceptant, & controvertunt. Ex quibus, ni fallor,

lumque Romanum omnimoda residebat potestas; & modernius in Regno Poloniæ, cujus Respublica, throno vacante, omnimodam habet authoritatem, & de dubio electionis dijudicat; sicut modo de electione præsentis Regis Ducis Saxoniæ ex post facto decernere contendit, ingenti tamen rei Polonicæ jactura quia in factiones divisa gens auxiliares exteros Principes asciscens, patriam populationibus, incendiis, & militum rapacitati obnoxiam reddidit. Quid in ineligibilibus vel deficiente linea, vel dubio existente successoris jure, resumat Respublica pristinam potestatem, & de controversia dijudicare contendat?

28. Tertiò. Nam cum agatur de jure succedendi ad Monarchiam Hispanam, quæ majori ex parte in Hispanicis Provinciis consistit, & jurisdictio, seu regia potestas nequeat esse inpendenti; necessariò debet esse in ipsis Regnis Hispanicis facultas dijudicandi, alioquin ex doctrina Arist. jam laudata, Respublica ista sibi non sufficeret, & melioris conditionis forent privati quoad comparandam successionem, vel hæreditatem, quàm Principes: privati namque habent determinatum judicem; illum, scilicet, sub cujus jurisdictione res sita est. *leg. illic. C. ubi de hæreditate*, Barth. Cyn. Salicet. Bald. Castald. & alii collecti ibi à Barbos. & quod hæreditatis causa agitanda sit coram Præside Provinciæ, in qua major pars hæreditatis consistit; tradit Morl. in empor. juris civil. tom. 1. tit. 2. in præludio num. 148. & in specie successionis Majoratus, quod

quod causa proprietatis spectet ad illum conventum ubi major bonorum pars sita est, tradit Molin. de primogen. lib. 3. cap. 13. n. 73. Principes vero non nisi armis jus suum possent promovere: ex quo sequeretur, quod Princeps pauper clariori jure munitus contra potentiorem, esto exiliori juri innitentem, disceptans, necessario causa caderet; privatus vero etiam pauper adversus potentissimum adversarium consistere posset in arena, & bono jure savente, reportare victoriam. Non ergo hæc suprema potestas denegari potest Reipublicæ Rege orbatæ.

29. Roboratur hæc ratio ex eo, quod controversia circa successionem potest succedere inter Principes subditos ipsius Reipublicæ, ut nemo potest dubitare. Tunc quæro quis erit hujus controversiæ Judex? Sanè Respublica ipsa. Ergo Rege demortuo Respublica habet judicium in causa controversæ successionis; atque adeò regia facultas, quæ in Rege vivente poterat, partibus auditis, de Successore diffinire; ad Rempublicam devoluta est. Cum ergo controversia, inter exteros agitata, licet absolutos Principes; sit de re existente sub Reipublicæ jurisdictione, quamquam Principes subditi non sint ratione personarum; ratione rei de qua contendunt, ad effectum experiendi jura sua, necessario subduntur Reipublicæ; sicut in feudis passim contingere videmus, quæ Principes etiam supremi, & independentes in Tribunali supremi feudi Domini disceptant, & controvertunt. Ex quibus, ni fallor,

satis superque liquet, non potuisse Augustissimum Cæsarem justè arma movere adversus Regem Catholicum, cum non fuerit antea molitus Monarchiæ Rege orbatæ insinuare jura, si quæ ipsi verosimilia favẽt, ad ejusdem successionem.

§. IV.

Exemplum Philippi II. in casu successionis Lusitaniæ non favet Augustissimo Cæsari.

30. DOctissimus P. Ludovicus Molina tom. 1. de just.& jur.tract. 2.disput. 103, nobiscum sẽtit ad Rempublicam spectare successionis judicium, quando disceptatio contingit inter ipsius Reipublicæ subditos, & exemplo adducto Ecclesiæ tempore schismatis rem illustrat. Do ejus verba. *Quando, mortuo Rege, varii subditi illius Reipublicæ contendunt Regnum ad se pertinere; sanè Respublica ipsa est, quæ tanquam in eo eventu suis omnibus partibus superior, judicare debet, ad quem Regnum pertineat; illudque illi tradere: non secus atque tempore schismatis ad Ecclesiam, tanquam ad superiorem omnibus suis membris, in eo eventu pertinet judicare, quis sit legitimus Põtifex.* Nihil tamen minus hic sapientissimus Theologus opinatur, quando unus, vel plures Principes aliarum Rerumpublicarum contendunt, ad se devolvi suc-

successionem; Rempublicam Rege orbatam causam dirimere non posse: ex ea, scilicet, ratione. *Sanè* (inquit) *tunc, cum causa Reipublicæ non esset cum sua parte, homine ve sibi subdito, sed cum aliena Republica, Principeque alterius Reipublicæ; nec talis Princeps subjectus esset Reipublicæ illi, nec Respublica Principi; sed perinde essent pares, ac si de tertia aliqua re inter se contenderent.* Hinc consequenter deducit, potuisse Philippum II. non expectata sententia Reipublicæ Lusitanæ, Regnum vacans per obitum Henrici Cardinalis ultimi masculi ex linea Emmanuelis Regis, armis occupare. Imò miratur, potuisse contrarium ab aliquibus asseri. Hæc si vera essent, argumentum contra §. præcedenti stabilita non futile subministrarent. Nempe; cum præsens controversia non agitetur inter Hispanicę Monarchiæ subditos, sed inter Principes aliarum Rerumpublicarum; nullum jus decidendi posset Hispanica Respublica prætendere, magis quam Respublica Lusitana affectare potuit in exscripto casu Philippi II. subindeque potuit Augustissimus Cæsar statim arma expedire, ut Philippus fecit, & jura ad arma transmittere.

31. Sed non minus miramur, virum, sine assentatione, doctissimum, exemplo fortè Philippi II. deceptum, hoc asseruisse discrimen, cùm nullum utrobique assignari, aut excogitari possit reverà. Nec certò assignasset, si non jus ex exemplo; sed, ut æquum erat, exemplum ex jure petiisset, aut dimensus esset. Enim-

verò tam perspicuum est, Regnum, vel Rempublicam, throno vacante, omnem regiam authoritatem resumere, posseque de jure prensantium successionem sententiam ferre; ut si non constaret de jure certo contendẽtium, posset, pristina libertate comparata, vel alterutri contendentium se dedere, vel Aristocratiam instituere, prout potuit à principio; ut docent P. Gabr. Vazq. Tanner. & Meroll. quos citat, & sequitur P. Ascan. Tamburin. explicat. Decalog. lib. 5. cap. 3. de cõscient. §. 4. *de probabilit. quam excipere quidam particulares debeant*. ibi: ***Quia obstat jus Regni vacantis: dum enim non est certum jus pro aliquo ex Regibus, ipsum Regibus liberum manet***. Sed adhuc luculentius P. Salas p. 2. tract. 8. disp. unic. sect. 13. num. 128. subjungit. ***Prævalet enim Regni libertas, si non constat de servitute: quare tunc Regnum vel se gubernet, vel se alterutri ex Regibus gubernandum spontè tradat***. Si hoc arbitrium obtinet Respublica in casu incerti juris, quis ei audeat negare judicium in casu juris cõtroversi?

32. Nec fundamentum Molinæ subsistit duplici ex capite. Primo quidem, quia licet eo casu Reipublicæ non esset causa cum homine sibi subdito quoad personam, esset tamen cum homine sibi subdito ratione rei, de qua contendit; qui, eo ipso quò res sub alterius justo dominio, & jurisdictione constituta sit, debet experiri in ejus supremo tribunali jus suum, sicut Princeps supremus fęudum contendens, etsi non sit ratione personæ subditus Principi, sub cujus alto dominio

fęu-

fęudum constitutum est; exorta de fęudo controversia, tenetur se supremi Domini fęudi judicio sistere, prout ab Augustissimo Cæsare præstitum in controversia, quam Regi Catholico intentavit de successione in Regno citerioris Siciliæ à Romana Ecclesia moventis, perspicuum est ex documentis in Romana Curia præsentatis: ut missum faciamus exemplum Francisci primi Regis Christianissimi, qui sententiam caducitatis à fęudo Flandriæ tulit in Parlamento Parisiensi contra Carolum V. Regem Hispaniarum, Romanorum Imperatorem, ob bellum ipsi illatum, ut produnt Historiographi Franciæ, & ex eis modernè Natal. Alexand.in Hist. sæc.xvi. in Francisc. I. Cum ergo Regalis authoritas, quam Augustissimus Leopoldus in Hispania prensare poterat, post Caroli II. excessum pęnes ipsam remanserit Hispanam Rempublicam, a qua in Reges derivarat, ab ea successionem omni jure postulare debebat.

33. Secundò. Quoniam perperàm Molina in prędicta specie ait, perinde se habere Rempublicam, & Principem supremum, qui sibi debitam succęssionem conaretur, ac si essent pares, & de tertia aliqua re inter se contenderent. Etenim supponit Reipublicæ in eo casu aliquam intercedere cum Principe controversiam, quod verum non est. Princeps enim prætendit Regiam dignitatem non adversus Rempublicam, sed adversus alium, vel alios Principes, qui suis juribus muniti, successionem sibi deberi affirmant: prout Phi-

lippus

lippus contendebat in successione Lusitaniæ adversus Duces Sabaudiæ,& Parmæ, & Ducissam Brigantinam. In hac controversia Respublica Lusitana pars non erat, nec ipsi cum Philippo intererat disceptatio. Quomodo ergo ipsi adaptari potest, quod se haberet erga Philippum tanquam si de re tertia disputarent? Si igitur pars non erat, & Regalis dignitas in ipsa consistebat, quia, ut prædictum est, Regalis dignitas numquam moritur, perinde, nisi aliud obstaret, deberet Philippus coram ea jura sua persequi; ac, vivente Henrico, coràm eo disceptaverat.

34. Et quidem, si exemplis res diffinienda foret, aptius, opportunius, & efficacius reperiri nequibat, quàm illud §. præcedenti depictum de controversa successione Regni Aragoniæ: ex quo manifestè clarescit, nullum esse admittendum discrimen, sive contendentes sint ipsius Reipublicæ subditi, sive non. Quando quidem, etsi Dux Gandiæ,& Comes Urgelitanus Aragoniæ Reipublicæ subditi extiterint; Comes tamen Fuxensis, Dux Andegavensis, & Ferdinandus Castellanus Infans, ejusdem controversiæ partes præcipuæ, subditi non erant. Et tamen perindè ab armis abstinuere, ac cæteri coronæ feudatarii; & lite dirempta, si quis arma movit, nõ Princeps externus fuit, sed domesticus, scilicet Urgelitanus, ut ex ibi laudatis Authoribus cõstat. Ex quo planè conjectare licet, Philippo II. aliud suffuisse motivum ad arma recurrendi, ultra assignatum à Molina, quod profectò ejus impressiones bellicas

cas honestare, aut justificare non sufficit.

35. Non ergo hoc motivum, in quo cespitavit hic cæterò doctissimus Scriptor; sed alia, justissima sanè, animum prudentissimi Regis induxerunt, ne Lusitanis decisionem maturare permitteret, sed bellicis tormentis præveniret; quæ brevi expendemus. Primum. Quia fide dignissimis documentis, quæ infallibilia fuisse, comprobavit eventus, deprehendit, Lusitanos Castellanis semper infensissimos, majori ex parte Antonio Notho favere Ocrati Priori, ipsique contra jus, & fas arma parare: quem postidea Regem salutarunt. Unde non debuit expectare, quod tyrannis convalesceret, sed festinus ipsam præfocare. Eò maximè quò decantatis in utriusque coronæ historiis didicerit, Lusitanos eatenus Castellanos aversari; ut tempore Joannis I. Castellæ, & Legionis Regis, Beatrice ultimi Regis Ferdinandi pridem defuncti, unica filia, & hærede refutata, quia Joanni Castellano nupserat; Joannem magnum Avisii Magistrum Ferdinandi ex impare matre fratrem Regem salutarint, & quia Joannes Castellæ Rex tardius, aut segnius, quàm par erat, accurrisset in perduellione perseveraverint. Profectò non prudens, qualis apud omnes gentes audiebat, habendus foret Philippus, si post hoc experimentum, & explorata Lusitanorum molimina, arma retardaret, certus Regnum ad se expectare ex celebriorum totius Europæ Jurisconsultorum judicio, ex quibus unum laudare satis duxi Cujacium. Meritò ergò

Phi-

Philippus machinationes Lusitanorum armis præoccupavit.

36. Secundò. Quia Philippus, ut scribunt Anton. Viperan. lib. de obtent. Portugall. Hieronym. Costenagg. de Portugall. conjunctio.cum Castella, ultra domesticos nostros Historiographos, adhuc superstite Henrico Rege, tàm ipsi, quàm Lusitanis Proceribus jura sua per Oratores ore, & scriptis luculenter exposuit, instititque vehementissimè, ut ante obitum Regis in hac pronunciaretur controversia; ne, si ad legum amussim decisa non fuisset, post Regis discessum juribus arma succederent. Quamquam autem à Rege bis coacta fuere comitia, ut disceptatio pluribus Regni suffragiis sopita periculosos armorum impendentes motus præveniret; re tamen infecta, dissoluta sunt, nec undecim viri ad ferendam sententiam destinati ante ejus obitum, partium privata affectione distracti, pronunciarunt. Idcircò consultissimè verebatur Philippus, Rempublicam, quæ viventis Regis authoritate nunquam adduci potuit, ut causam diffiniret; eo mortuo, nō extinguere, sed gliscere litem permissuram, quò faciliùs jugum Castellani Regis, cui manifestè jura favebant, aliorum contendentium armis occupati, recusare posent, & nationalem Principem jure, vel injuria ad thronum evehere.

37. Tertiò. Nam Philippus Secundus omnia jura, quæ, Rege extincto, ad Rempublicam devolvi diximus, non ad Lusitanam Rempublicam, sed ad Le-

Legionis, & Castellæ coronam devoluta probabilissimè sibi persuasit; Quia Regni Lusitaniæ natales non sunt illius ingenuitatis, & libertatis, ac Regni Legionensis, vel Aragonii primordia. Quippè tempore Alphonsi VI. quidquid in Lusitania à Mauris repetitum erat, Legionensi Regno, parebat. Alphonsus verò muneraturus Henricum Lotharingium, qui diu sub ejus signis strenuè militaverat, ipsi Theresiam filiam desponsavit, & Lusitaniam Christianam, sub Comitis titulo, dotis nomine dedit. Hujus Henrici filius Alphonsus,egregiè devictis uno prælio quinque Arabum regulis, cristam arrigens, regale nomen, & paludamentum assumpsit; super quo ancipite Marte cum Alphonso VII. Legionis, & Castellæ Rege diu conflictum est. Tandem res transactione sopita, prout inter fratres decens erat; quod, scilicet Lusitanus Regnum haberet Legionensi stipendiarium, & vectigale: ut post alios testatur Zamalloa in histor. Regum Lusitan.cap. 8. ubi de Alphonso Henrici, ad annum Christi 1127. Cum ergo Regnum hoc fęudum Castellæ sit, meritò Philippus secundus judicium non Reipublicæ Lusitanæ, sed potius Legionensi convenire, & sibi rationem hujus Regni, contendere poterat, Regno certo Rege vacuo, seu dubio successionis opportuno tempore non deciso.

38. Nec refert, quod Dionysius Rex ab Alphonso sapiente Castellæ, & Legionis Rege, ejus materno Avo, quem visitaturus puer Hispali convenerat ab

omni servitio libertatem pro se, & suis hæredibus obtinuerit, ut idem Author in Histor.Castell. & signanter in Alphonso sapiente, ad annum Christi 1269. testatur. Etenim, omittentes, quod re ad proceres delata, constanter restiterunt, quoadusque Alphonsus ira scandescens extorsit assensum; ex ejusmodi servitii libertate Regnum non desiit esse fęudale, & sub alto Regis Legionensis dominio constitutum, ut tradunt Bald. & alii, quos citat, & sequitur D. Ludovic. Molin. in suo egregio opere de Primogen. lib. 1. fol. mihi 108. In specie Domini liberantis fęudatarium ab omni servitio, prout plura esse fęuda S.R. Imperii ab omni servitio libera, & gaudentia prærogativa legis *Benè à Zenone.* dilucidè ostendit August. Barbos. in collectan. ad cap. *Per Venerab. Qui filii sint legitimi.* pluribus ad præsens institutum laudatis authoribus; nec propterea fęudi naturam desipiunt. Unde non obstante immunitate servitii ab Alphonso concessa; jure Philippus secundus altum Portugalliæ dominium ad se spectare prætendere potuit.

39. Quibus benè expensis, manifestè elicitur, hoc Philippi II. exemplum Augustissimo Cæsari minimè suffragari. Ipse enim dum Carolus vixit, non institit juridicè pro hujus controversiæ legali resolutione, sperans sine dubio ab ipso fore successorem declarandum, agnationis amore lancem superante justitiæ; Post ejus obitum, ultimis Caroli tabulis contra conceptam spem, & inopinè correptus, instare, protestari, aliaq;

ge-

gerere, quæ jus quale quale suum præservarent; omisit. Regnum Hispaniæ nullo jure sibi subjectum credere potest, & subindè facultatem controversiam terminandi ad se devolutam. Ex nullo igitur capite exscriptum exemplum Cæsari prodesse autumamus.

§. V.

Lex Regni Castellæ naturali æquitati conformis, hujus controversiæ judicium defert Regni comitiis.

40. CUm Reges per Rempublicam regnent, & in Regnis successibilibus, seu lineaticis ex pacto convento cum primo Rege, & ejus posteris, translata sit potestas Reipublicæ in ipsum, & successores, ad ipsius Reipublicæ utilitatem; non perniciem; naturali æquitati conformius est, ut pactum istud omnimodæ potestatis translativum sic interpretemur, ut Respublica non abdicaverit prorsus à se facultatem per se operandi id, quod Reipublicæ nomine Rex operari non potest; alioquin jam non utilis, sed nocua Reipublicæ translatio, potestatis, & Regis creatio foret. Quod adeò verum est, ut si illa potestatis abdicatio per legem Regiam, & fundamentalem ab initio facta, ratione temporis, personæ, vel alterius circunstantiæ cæpisset Reipublicæ procudere notabilissimum nocumentum, posset Respublica à pacto cessim

ire, vel resilire ex ea parte, qua illud animadverteret perniciosum. Unde lex illa in omnibus Regnis Europæ usu comprobata, quod in successione Regnorum præferatur primogenitus secundogenito, ex communi sententia, quam cum Authoribus laudat, & sequitur D. Ludovic. Molin. de Primogen. lib. 1. cap. 13. num. 25. & deinceps; eam patitur exceptionem, ex naturali æquitate, & mente Legislatorum: si primogenitus non sit inhabilis ad administrationem Reipublicæ, si enim inhabilis reputetur; præferendus est secundogenitus, quod in his terminis docuit Joann. Andre. in addition. ad Speculat. tit. de feud. §. *quoniam:* versic. 25. q. 76. indefinitè asserens, quod *In successione primogenituræ filius secundus habilis concurrens cum primogenito inhabili, secundogenitus erit præferendus;* Et quidem meritò, nam ut discurrit prælaudatus Molina, *lex præferens primogenitum non debet interpretari adversus publicam utilitatem, quæ versatur in eo, quod Regna, & Provinciæ ab habilibus gubernentur.*

41. Et forsàn ex hoc principio processit, id quod in Aragoniæ historiis proditum est, quod scilicet obeunte Joann. I. qnamvis filias duas reliquerit ex justo conjugio susceptas, Joannam nuptam Comiti Fuxensi, & Violantam Duci Andegavensi; nec dubitari posset Regnum illud esse femineum, siquidem in eo Ranimiro Monacho successit filia Petronilla, quæ illud Raymundo Berengario Comiti Barcinonensi dotis no-

nomine attulit; tamen Regni Proceres exclusa gemina filia, successionem detulit Martino Joannis Regis prædefuncti fratri, Duci Monblancii; veriti, ne filiarum successio Principibus exteris conjugatarum, qui de rebus, legibus, & ritibus Aragoniæ jejuni erant, in Regni vergeret perniciem. Cui melius sine dubio consultum crediderunt, fratrem demortui Regis, de legibus, & moribus Regni apprimè instructum, ad regale Solium evehendo.

42. Nec absimili causa factam crediderim assumptionem Hugonis Capeti, quem Franci Proceres post obitum Ludovici V. Regem salutarunt, præterito Carolo Lotharingio demortui Regis patruo, ut qui Ludovici Transmarini filius erat. Cum enim hic Princeps Francis suspectissimus esset ob intimam cum Othone II. necessitudinem, in cujus clientela Lotharingiam tenebat, animoque potius germanus; quàm Francus reputaretur; de re Franciæ existimarunt Proceres Carolum rejicere, & Principem verè & sanguine, & animo Francum in throno statuere, qualis erat Hugo, Hugonis magni filius, rerum Francicarum pace, & bello experientissimus, tanquam, qui sub nomine Majoris domus Regnum re ipsa multis annis prudentissimè administrarat. Quod enim Odorannus in chronico scripsit, Ludovicum in codicillis Hugonem successorem delegisse, emunctiorum narium Scriptores, etiam Franci, falsi arguunt: nec si verum esset, aliquid operaretur. Nam hæc designatio ex prædecesso-

ſoris Regis teſtamento, niſi Procerum accederet aſſenſus, nullius omninò roboris eſſet, ut nemo non aſſeverat.

43. Verùm hanc facultatem, quam ex naturali æquitate, & congrua legis fundamentalis interpretatione Reipublicæ reſervatam Doctores volunt, lex Regni noſtri Caſtellæ præſervavit expreſsè. Etenim leg. 2. tit. 15. partit. 2. ſtabilitur formula ſuccedendi in Regnis Caſtellæ, & Legionis, & poſt vocatos filios, nepotes, & (maſculis deficientibus) filias, neptes, vel alios deſcendentes ab ultimo Regni poſſeſſore, ſuo ordine; diſponitur, quod his omnibus deficientibus, ſuccedat proximior conſanguineus, ſi ad Rempublicam gerendam idoneus ſit. Hæc ſunt formalia verba legis. *Pero ſi todos eſtos fallecieſſen; debe heredar el Reyno el mas propinquo pariente, que ovieſſe, ſiendo hombre para ello*. Num quærerem, cui hoc diſcernendi facultatem lex deferat? Ipſis nè Principibus Regnum affectantibus? profectò irridenda lex foret. Quis enim de ſe tam demiſsè ſentiat, præſertim ſanguinis prærogativa illuſtris, & aulicorum aſſentationibus aſsuetus, quod ſe minus aptum, aut ineptum ad gerendam Rempublicam judicet? Planè nullus. Vel ipſa meridiana luce, clarius eſt, hoc munus Reipublicæ detuliſse, cujus cum in ſucceſſione cauſa maximè agatur, ſummoperè intereſt ſuccesſuri capacitatem explorare, eumq; ſi habilem, ſi qualem tantum munus exigit, deprehendat, admittere, ad thronum evehere, & rerum

ſum-

summam tradere debet; sin minus, rejectare, & alium gradu immediatum, si hic habilior sit, eo prxterito, substituere. At hic duo desiderantur in Principe successuro ex ultimo Rege non descendenti, sed ipsi lateraliter conjuncto; & sanguinis proximitas, & ad regendam Rempublicam habilitas; si alterius judicium Reipublicæ proculdubio competit, alterius discretio eccur ipsi denegabitur? Sicut ergo Princeps quantumque supremus ab omnique dependentia absolutus, subire tenetur Reipublicæ examen quoad habilitatem, tenetur etiam quoad jura succedendi, quæ in sanguinis proximioritate radicantur, ex vi legis nostræ, quæ, ut ex dictis patet, naturali æquitati satis superque consonat.

44. Nec potest Princeps ullus suæ independentiæ, & supremæ libertatis obtentu, se adversus legem tueri; quia cum vi ejusdem legis succedat, nec ab alio principio, quàm à lege eum ad successionem vocante, jus sibi ad succedendum possit arrogare; necesse est, quoad alia ipsi legi subjaceat, trita enim est illa Juristarum regula, quod ***qui sentit commodum, sentire debeat & onus***, & e converso, de qua videndus August. Barbos. in collectan. ad hanc regul. lib. 6. unde nequit legis beneficio frui, & legis onera respuere. Atque adeo necesse erat, quod Serenissimus Archidux, in quem Cæsar jura sua transtulit, ante quam arma tentaret, Hispanicę Monarchiæ, tàm quoad sanguinis jura, quàm quoad habilitatem, judicio se sistfteret: nec aliàs justè bellum excitare potuit.

§. VI.

§. VI.

Bellum Austriacum ex parte Authoris adhuc injustum, quia non denunciatum.

45. SEd quando velimus Augustiss. Cæsarem à tanto onere relevare; à quo post aditam possessionem à Rege nostro Philippo, quia Respublica functa fuit munere suo, relevari certum est; adhuc grassantis belli injustus Author fuit: ex eo, quod illud intulerit, urserit, priusquàm indiceret, vel denunciaret. Id enim, etiam cum justa belli causa subest, jus naturæ, gentiumque jus desiderant. *Cum duo sint genera disputandi, unum per disceptationem; alterum per vim; cumque illud proprium sit hominis, hoc belluarum; confugiendum est ad posterius, si uti non liceat priore.* iuquit Cicer. 1. de offic. ad præsens institutum laudatus per Lips. Politic. lib. 4. cap. 4. Et quidem duplici ex capite hanc denunciationem bellum requirit, & quia bellum est, & quia executio judicii est. De eo sub priori conceptu in præsenti; sub secunda consideratione in sequenti §. instituemus sermonem.

46. *Sæva res bellum est*, ait Plutarch. in vita Camill. cumulumque secum trahit injuriarum, & insolentiæ. *Quorum malorum* (prosequamur verbis Augustin. de Civit. Dei lib. 19.) *multas, & multiplices clades, diras, & duras necessitates, si ut dignum est eloqui*

eloqui velim, quamquam nequaquàm, ut res postulat, possum; quis erit prolixæ disputationis modus? Propterea non est temerè, sed consultissimè inferendum. Nequit enimverò inferri consultè, nisi pars adversa, priusquam bello petatur, fuerit conventa, fuerit audita; nisi objecta probabilissimè non refutet; nisi obversanti veritati obstinatè resistat: ut jam bellum inferendum dictet, non libido, sed necessitas. Verum semper illud erit Maxim. Tyr. scilicet; *bellum à justis non sumi nisi necessario; ab injustis sponte*. Nihil certius. *Quia de bello*, (redeat idem Author) *etiamsi demas injustitiam; ipsa per se necessitas miseranda est.*

47. Idipsum naturalis edicit ratio. Etenim bellum est injuriæ vindicta; sed hæc illicita, & injusta est, quoadusque certò constet offensorem nolle obstinatè injuriam reparare; nec id constare reverà potest, quandiu ab ipso post expostulatam injuriam, reparatio, etiam dira comminata militari executione, petita non est. Igitur antequam belli motiva exponantur, injuria renuncietur, quæ nulla probabili, aut probabiliori possit tergiversatione vitari, & bellum comminatum sit; justè inferri nequit. Subindè prudentissimè ajebat, Alaricus apud Cassiod. lib. 3. variar. epist. 13. *Veniendum tunc ad arma, cum locum apud adversarios justitia non potest invenire.*

48. Proferam hac de re disserentem ex Theologis nostris unum, sed qui instar multorum est ob variam, & multiplicem tùm sacram, tùm civilem, &

 ca-

canonicam eruditionem. Is est P. Ludovicus Molina, qui opere de just. & jur. tract. 2. disp. 103. hæc profert. *Ut bellum justum licitumque sit, non satis est, Principem, qui illud movet arbitrari, sed habere justam belli causam. Sic enim & Turcarum, & Saracenorum adversus nos bella essent justa. Sed opus etiam est, ut quando res dubia esse potest, pro rei pondere, gravitate, ac difficultate, diligens prius inquisitio fiat, adhibito eorum sapientum, & prudentium consilio, de quibus merito credendum est, sincero, & maturo judicio, passioneque semota ea de re judicaturos, veritatemque inventuros. Audiendæ adversariorum rationes, modò sincere, & sine fraude agere velint.* Credam Augustissimum Cæsarem consuluisse, priusquam bellum inferret, viros doctissimos, & juris prudentissimos, de quibus meritò sibi persuadeat, non favorem, non affectionem erga Austriadum domum, sed justitiam extorquere potuisse suffragium: eosque in ea fuisse sententia post multas vigilias, post utriusque contendentis momenta semel, iterum, pluriesve librata, expensa, & in hypocaustis sudata, successionem in Hispana Monarchia Domui Austriacæ, non Borboniæ, competere. Hosque viros Cæsarem tanti facere, ut de eorum judicio existimet dubitare piaculum: quorum tectus sententia bellum aggressus est. Hæc omnia libentissimè credo; nec enim de indubitata Cæsaris pietate minus sperare liceret. Sed non sufficiunt. Oportebat hæc jura Gallis, & Hispanis expo-
nere,

nere, & illis auditis, ferre judicium. Fortè aliquid producerent vel in jure vel in facto, quod illos fugit, quodque cogeret, si homines sunt, mutare sententiam. Vel si tam efficacia Austriadum fundamenta erant, Reges ipsi, aut Hispani Populi dexteras dare, factum retractare poterant, aut in arbitros, vel arbitratores compromittere, seu alio opportuno, & minus cruento medio controversiam transigere. Huc advoco illud Terentii.

Omnia prius experiri verbis, quam armis
Sapientem decet.
Qui scis, an quæ jubeam, sine vi faciat?

49 At reponunt. Id sine dubio præmissurum, si prodesse posse speraret. Non præmisit, quia bene novit, Reges sive Christianissimum, sive Catholicum paratos armis resistere, juraque sua tueri; propterea id præmittere foret tempus frustra, & otiosè terere, ipsisque tempus ad arma expedienda donare; sine alio fructu, nisi quod induciis huic disceptationi verè, vel apparenter necessariis, effectivam, ultimamque belli decisionem perendinaret, non præpediret. Sed hæ conjecturæ sunt, quæ bellum non justificant; esto enim sic se res habeat; oppositum possibile est, & hoc satis est, ut via juridicæ disceptationis non debeat præteriri, alioquin ferè nunquam indictio bellum anteire deberet. Imo dilatio ipsi Cæsari, quàm memoratis Regibus utilior foret, quo enim tardius, paratior processisset; adversarii enim suorum conatuum conscii, prompti

fuerunt, siquidem primos Germanorum impulsus rece-perunt armati. Bello tempus non deesset: videret, an sine bello ad optata posset pervenire: sin minus, lacertos moveat, si de jure non dubitat, juxta sanum illud Euripidis documentum.

Verbis id impetrabo; sin nequeo, manu.

50. Jure gentium bellum denuntiandum, antequàm inferatur, persuadet inveteratus mos omnium nationum, quem Romani jus feciale dixerunt, apud ipsos tam religiosè observatum, ut nullum bellum aggressivum justum reputarent, quod repetitio rerum, & denunciatio non præcederet, uti monuit Cicer. lib. 1. off. *At belli quidem æquitas sanctissimè feciali Populi Romani jure præscripta est. Ex quo intelligi datur, nullum bellum esse justum, nisi quod, aut rebus repetitis geratur, aut denunciatum ante sit, & indictum.* Cui consonat quod in Jure Canonico cap. *Justum*. 23. q. 2. ex D. Isidoro Hispalensi lib. 1. Ethimolog. transcribitur. *Justum bellum est, quod ex dicto geritur, rebus repetitis, aut propulsandorum hostium causa.* Quod sane desumptum ut ex authographo videtur ex illa celebri, nunquamque satis commendata Coriolani sententia apud Dionys. Halicarnas. *Si quis non aliena cupiat, sed sua postulet, atque iis non impetratis, bellum moveat; id omnium confessione æquum est.*

51. Hinc ad bellum denunciãdum, indicendumvè à Populo Romano feciales delecti, & missi, quorum mu-

munera, & denunciandi formulæ videri possunt apud Liv.lib.1.Decad.4.Aul.Gell.noct.Attic. cap.4.Cinci. lib.5.de re militar.Hugon.Grot.de jur.belli,& pac.lib. 3.cap.3.num. 7.illustratque Petrus Araunz.ad tit. de sagittar.num.100. Brison.lib.4.de formul.Osuald. ad Donell.lib.4.cap.21.laudatos ab eruditissimo Salmanticens. nostro Vesperar.D.Emmanuel.Gonzal.Tellez. in cap.*Sicut* de jur. jur. nec antequàm feciales, vel res populi repeterent, vel injuriæ compensationem postularent, sed postquam non impetraverant, bellum denunciabant;quia cùm bellum sit cruentissima rerum hominumque strages; illud Senecæ, quod nos cordibus Christianorum Principum igneis charitatis notis impressum amamus; ***non est homine prodigè utendum***; piissimo humanitatis studio eorum animos pervasisse videbatur.

52. Nec satis est justitia causæ, ut hæc dispensetur indictio; quia cum possibile sit, quod ille, in quem bellum infertur, armis contendere recuset, paratus injurias siquas vel ipse, vel sui irrogarunt, sarcire, nec aliud aggressor contendere possit; nisi sub injuriæ larva velit offensorem abligurire, ut non semel contingit rerum alienarum helluonibus; planè si arma non deponat, in humanitatem delinquit, & homine prodigè uti desiderat. Cyrus, Xenophonte referente,cum armatus Armeniam pervenisset, repetiturus vectigal, & militem sibi ex fędere debitum,sed à fędifrago Rege denegatum, in limite substitit, nec cum posset ob fę-

dus

dus violatum, arma movere, aut cuiquam nocere permisit, priusquam denuò mitteret, qui tributum,& copias jure debitas exigerent. *Humanius id existimans, quam si ultra duceret, nihil prædicens.*

53. Nullum justius bellum, quàm quod Israelitæ gesserunt adversus Palestinæ Regulos ad vindicandas Civitates sibi à Deo donatas. Sed tamen Dominus Populum suum militaribus institutis erudiens Deuteronom. 20. versic. 10. hoc in aliis instillavit monitum. *Quando accesseris ad expugnandam Civitatem, offeres ei primùm pacem, si receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea est, salvabitur.* Quasi bellum etiam pro repetendis Civitatibus à Deo donatis non inferretur justè, nisi priùs verbis transigi controversia tentaretur: nec jure posset fieri in resistentes militaris executio, quoadusque conscii propugnatores facti de jure expugnatorum, fronte perfricta resistentes, rei fierent bellici furoris.

54. Qui ad propulsandam injuriam bellum inferret, quam paratus est omnimodis reparare, qui bello appetitur, procul dubio satisfactionem injuriæ obtendit, sed eam non quærit. Quid ergo aliud contendere videtur, quam insidias parare naturæ, & hominibus prodigè uti? Quis in universa Europa non detestatus est imprudentem juxta ac infelicem expeditionem Caroli audacis Burgundi in Helvetios? Paratos hi se exhibuerunt ad reparandam, si quę Romontio illata fuerat, injuriam; omnem, quam cupere sciisset, satisfactionem

præ-

præstandam Carolo. Hic e perversò nec eos audientia dignatus est; sed nec Ludovico XII. Regi Christianissimo, aliisque Principibus, qui ejus feroces conatus relinire tentarunt, aures porrigere: ut enim erat promptus ad iram, ad clementiam tardus, prætulit dubiam, sed cruentam internecionem satisfactioni certæ, & pacificæ? Quo exitu? fusus bis exercitus: ipseque cæsim trucidatus injustitiæ, & furoris pęnas dedit; ut in sua histor. describit Francus Sallustius Philippus Comines, vir priscis Historiographis componendus, & cuivis æquandus ex dissertissimo Lipsii judicio.

55. Sed si Princeps jura, cogitatum, intentionem bellum passuro non propalat, non exponit: quomodo vel rerum restitutionem, vel satisfactionem injuriæ obtinere per media pacifica poterit? Bellum est ultimum Principum injurias passorum perfugium: tentari prius cætera debent, etsi profutura non credantur, ad causæ justitiam, & humanitatis auctarium. Si exitus non respondet, & causæ justitia explorata sit; intentetur, inferatur bellum. Cæterum à bello incipere controversiam, prout contigit in bello Austriaco, perinde est ac à sententia litem, ab epilogo orationem exordiri. Vulgatum, sed rem continens, est illud commune pronuntiatum. *Extrema primo nemo tentavit loco*. Et tamen in præsentiarum fallere, experientia monemur.

§. VII:

§. VII.

Denunciatio belli iterum necessaria, quia bellum executio judicii est.

56. Nec ex eo solum, quia bellum per antiphrasim bellum est, scilicet ingentium malorum scaturigo, indictio necessaria ab Authoribus æstimatur; sed ex illo etiam capite, quod bellum executio judicii sit, & quidem plusquam capitalis, vastationibus, innocentium oppressionibus, virginum humiliationibus, incendiis, truculentia, sanguine, & horrore plena, denuntiationem subsequi debet. Porrò denunciatio plus significat, quam belli solemnem publicationem: videlicet ea omnia, quæ naturali jure ad consistentiam legitimi judicii desiderantur. Cum enim Princeps, qui authoritatem habet bellum inferendi, eam obtineat, quia judex est; injustè procedet, quoties ea non præmiserit, quæ jure naturæ legitimum judicium constituunt. Idcirco nullo potest jure dispēsari, quin, si injuriam se passum credit, id injurianti significet; satisfactionem, aut rerum repetitionem urgeat, bellum comminans, si ipsi non satisfiat; adversæ partis, si excipere gestiat, exceptiones audiat, ponderet, & privata seposita affectione, consideret: si relevantes sint; à sententia, & multò magis sententiæ executione, quæ bellum est, abstineat: si irrelevantes fue-

fuerint; reprobet, refutet, rejiciat. Sin pars adversa respondere, aut excipere negligat; eam in culpabili mora constituat, contumacem reddat, ut per contumaciam, injustitiæ labe sententia contra reum inauditum pronunciata, & acerbissimæ executioni commissa, purgetur. Si præposterè negotium tractetur, quamquam alioquin, & (ut loquuntur Philosophi) materialiter causa justissima subsit; judicium formaliter injustissimum erit, quod pulchrè innuebat Senec. in Medea. act. 2.

Qui statuit aliquid, parte inaudita altera,
Æquum licet statuerit, haud æquus fuit:

Horum omnium excutiens motivorum vim, ac pondus P. Ludovicus Molina loc. superiori §. laudato eandem profert nobiscum sententiam. *Audiendæ etiam sunt adversariorum rationes, modò sincerè, & sine fraude agere velint. Etenim Princeps, qui bellum movet rationem judicis subit circa adversarios in re gravissima, in qua non solum agitur de re, propter quam bellum movetur; sed etiam de cæde multorum, gravissimisque aliis malis alteri Reipublicæ inferendis, quæ procul dubio multos etiam innocentes contingent. Judex autem non nisi prius explorata, & perspecta causa, licitè potest sententiam ferre, & multominus eam executioni mandare: eoque plus illi est trepidandum, num causa perspecta satis explorataque sit, quo de re graviore agitur.* Sanè remota hac denuntiatione, nullus reo convento superest defensioni locus in judi-

cio; ut de se patet. Quid, quæso, potest tam clarè juri naturali resistere, quam reo defensionem denegare? Id habemus ex leg. *ut vim ff. de just. leg.* 1. §. *cum arietem. ff. si quadrupes paup. cap. cum inter. de exception.* probantque Simanc. de Catholic. tit. 26. num. 1. Farinac. quæstionib. criminalib. qu. 39. num. 8. Peguera in prax. lib. 11. cap. 7. Antonin. Dian. in additionib. ad 3. p. Et cùm ea, quæ juris naturalis sunt, à nullo Principe, quantumvis absoluto, & independenti immutari, minusq; abrogari possint. cap. *Sunt quidem.* 25. q. 1. cap. *Susceptis. de causa possess. & propriet.* ibi. *Nec nos aliquid possumus.* Elicitur apertissimè, hanc substantialem judicii partem, quæque illius justificationis basis, & fundamentum est; non potuisse Augustissimum Leopoldum omittere, eaque omissa, bellum Catholico Regi intentare: hæc enim denunciatio citationis locum subit; citatio vero lapis est fundamentalis judicii. §. *final. instit. de pœnis temere litig.* Clement. *Pastoral. de re judicat.* cujus defectus, nullum, illicitum, & injustum reddit judicium, propterea quovis tempore potest opponi: ut tradit Larrea tom. 2. allegat. 207. num. 8. & deinceps. Carrasc. in tract. *an habeat locum restitutio* num. 63. Pareja de instrument. edit. tit. 7. resolut. 2. num. 2. Valenzuel. consil. 6. & est communis sententia.

57. Id, quod naturæ principiis, & humanæ synteresi tàm consonum est; ipsa instigante, vel inspirante, in jus gentium transivit, vel ab ipsis incultis hominibus

bus observatum; adeò, ut contrarium ab eisdem silvescentis feritatis, aut impotentis tyrannidis insimularetur: ut innuit Madaurens. lib. 10. Miles. ibi. ***Ne ad instar barbaricæ feritatis, vel tyrannicæ impotentiæ damnaretur aliquis inauditus; & in placida pacedirum sæculo proderetur exemplum.*** Idcirco Alexand. Magn. referente Plutarc. in ejus vita, cum in causis capitalibus judicaturus sederet; actore declamante, altera manu alteram appendebat aurem; ut eam præjudiciis actoris non violatam, integramve reservaret reo. Similia exempla ab aliis petita observant, & proferunt Revard. lib. 1. variar. cap. 7. Grot. in florib. ad leg. 1. ff. de requirend. reis. Forner. lib. 4. rerum quotidian. cap. 7. Quod apud Atticos cautum fuisse lege lata à Solone, author est Sextus Philosophus lib. 6. hypotypos. & Demosthen. orat. de corona. Lycurgum iridem de eo legem rogasse, refert Valer. Maxim. lib. 7. cap. 2.

58. Sed quamvis in lumine illo vultus Domini, quod, Psalmista accinente, signatum est super nos, hanc veritatem dilucidè videamus, habemus tamen firmiorem propheticum sermonem, cui benè facimus attendentes. Nimirùm hoc inconcussum lemma ex veteri, & novo testamento elicitur satis clarè. Ex veteri quidem deducit Lucifer Calaritanus adducto 3. Genes. quem textum elegantissimè urget pro D. Athanasio lib. 1. contra Imperatorem Constantium hoc modo. ***Quomodo arbitraris, divinitus permissum puniri inauditos; quando videas Adam, & Evam Principes***

nostri generis auditos, sententia perculsos Dei? Nec minori energia in idem institutum illud versat capit. 4. ubi sacer Historiographus agit de noxa Cain ob fratricidium. *Dedisti præcepta, damnandum esse inauditum absentem: negandamque esse audientiam, purgare se posse de crimine objecto proclamanti. Abel interficitur justus, & interrogatus Cain sumit sententiam. Et tu Domini inauditum vis puniri Sacerdotem*. Ex novo clarius, quàm interprete indigeat, vel commentario, constat ex illis verbis Joan. 7. *Numquid lex nostra judicat hominem, nisi prius audierit ab ipso* (notetur hoc demonstrativum) *& cognoverit, quid faciat*?

59. Si instituta civilia Romanorum consulamus, nefas fuit, facinusque temeritate, & impudentia plenum inauditos, & non vocatos dijudicare; hocque tanquam propudiosum crimen Verri objecit Cicer. Orat. pro domo sua. *Honestissimi, atque integerrimi absentes rei facti, indicta causa, damnati, & ejecti*. Quod sanè elegantissimo stilo Theodosio exprobrabat Symmac. *Quæso igitur, ne in contumeliam judicii vestri, & juri, & innocentiæ fraus paretur. Quando enim absentibus, & ignorantibus inter alios gesta nocuerunt? Quis unquam sententiam numinis vestri inauditus excepit*? Cautumque id fuisse legibus xii. tabularum colligit Aul. Gell. noct. Atticar. lib. 17. ex tabula. 1. illis præsertim verbis. *Cùm perorant ambo præsentes*.

60. Si Canonicæ recurrantur sanctiones, id passim

sim inculcari deprehendimus, adeò ut apud Canonistas evaserit in proverbium, quod *etiam Diabolus sit audiendus*, priusquam damnetur. Sed tamen ejus indispensabilem necessitatem evincit, omnemque effugij spem præcludit textus in principio citatus ex cap. *Susceptis de causa possession. & propriet.*, in quo D. Gregor. Magn. prædicti textus author, qui fines suæ potestatis optimè noverat; sed quis melius? conceptis verbis asserit. *Nec nos contra inauditam partem aliquid possumus diffinire*. Videndi ad hunc textum, & signanter ad verba transcripta Doctores, quos longa serie congessit August. Barbos. in collectan.ad dictum cap. num. 7. Sed præcunctis, noster D. Emmanuel Gonzalez Tellez, qui solita eruditionis copia materiam istam expendit.

61. Ex his, quæ tàm in præsenti, quàm in antecedenti §. produximus, obvium est depromere, Augustissimum Cæsarem intempestivè, & acerbè bellum movisse, quod sive quia bellum erat, sive, quia sententiæ, in causa successionis ab eo prolatæ, violenta, & plena sanguine executio erat, multiplici Solis circuitu debuisset maturari. Audiendus antea fuerat Rex Catholicus: audiendus Serenissimus Delphinus ejus Genitor; audiendi insuper Hispani, vel tanquam interesse habentes, vel tanquam de legibus Regni, quibus controversia dirimi debet, melius instructi; & informati; ut, his auditis, judicium ferri posset justum, & ex jure, non injustitiæ obnoxium, exque privata

affe-

affectione profectum. Quis scit, an Cæsar iis auditis, & eorum ponderatis momentis, bello supersedere, existimaret? Hoc certè ejus pietas mihi persuadet, quod si agnovisset, à Rege Catholico stare jura, à bello abstinuisset. At, re collata, & Rege ipso audito, discussa; nullus dubito quin ejus insuperabilis justitia illucesceret Germanis Doctoribus, quamvis sui Principis præjudicio occupatissimis. Quanta mala, quantæ præpeditæ fuissent D.O.M. injuriæ, & innocentum offensæ! Sed quid, si post hæc pedem ab inceptis retrahere compellatur? tolerabilius dedecus foret Austriacæ domui juribus cadere, quam post dispendiosissimum bellum armis cedere. Et tamen res ipsi est, cum Regnis, quorum, subditi ambidextri non minus armis, quam juribus valent.

§. VIII.

Injustum bellum Austriacum, quia illatum ex opinione minus probabili, & minus tuta.

62. QUamvis hoc nostro sæculo probabilitatum usus eatenus effluxerit; ut ferè per modernos Authores illud, cuique liceat, quod libeat; cum opinionem, quam plures probabilem dicant, quæ præcepti vincula relaxet, & libertati è perverso faveat, facile & obvium reperire sit in materia

mo-

morum: adeò ut deplorabili experimento verum, imo verissimum in opinionum delectu illud deprehendamus. ***Nulla fœditas sine amatore, nec fatuitas sine patrono.*** Nihilò fercus, in materia belli complures, etiam ex his, qui in opinionum electione habenas laxarunt, se se effundere ausi non sunt; sed constanter cùm aliis, quibus sequi opinionem minus probabilem faventem libertati, minusque tutam, in conspectu probabilioris, & tutioris stantis à præcepto, piaculum est; defendunt non licere inferre bellum ex opinione minus probabili; sed Principem ad bellum indicendum tutiorem, & probabiliorem opinionem necessario amplecti teneri, alioquin reus erit gravissimorum criminum contra charitatem, quæ per bellum violatur, contra justitiam, quam labefactant homicidia, depopulationes, incendia, & infinita alia nocumenta, quæ bellum producit, & contra alias morales virtutes, quibus insolentia militum sæpè sæpius injuria est.

63. Hæc sana, & sine dubio vera doctrina duplici etiam innititur potissimo motivo; & quia indicens bellum judex est, & quia bellum omnium malorum epithesis, & compendium est: sub prima consideratione in præsenti; sub secunda in sequenti §. discutietur.

Principem ergo ad bellum indicendum, & (urgentiori titulo) inferendum, debere sequi tutiorem, & probabiliorem opinionem; nec posse bellum offensivum indicere fretum opinione minus tuta, minusque

pro-

probabili, cum judex sit, defendunt quot quot usum probabilitatum impugnant, quos diligentissimè laudat Prosper Fagnan. in cap. *Ne innitaris*. de constitution.num.213.& 353. Sed ex his, qui probabilitatum usum liberum faciunt, non posse judicem sententiam proferre ex minus tuta, & probabili sententia defendunt Vazq. Card. de Lugo. Sanch. Tanner. Laiman, & alii plures, quos allegat, & sequitur Bontempius tom.4. tract.1. q.15.à num.329.quibus addendi sunt, qui ex utroque capite id Regi non licere defendunt, quos longum est recensere, videri tamen possunt apud Antonin. Diana tom. 1. tract. 13. resolut. 8. Et ratio est manifesta, quia judex tenetur sententiam ferre ex allegatis, & probatis, non enim est Dominus juris, ut possit illud, cui voluerit dare, & auferre, sed attributor, & legum executor, qui sine vitio acceptionis personarum, non potest, quod probabilius uni debetur, alteri conferre, præsertim contra expressas juris regulas. Ergo Princeps, quando per accidens in propria causa vertente cum alio Principe, vel Republica prorsus libera, vices, & munia judicis subit, eadem gerere debet, quæ judex ex officio gerere tenetur: nequit ergo ex opinione minus probabili rem controversam sibi adjudicare, foret enim sui ipsius acceptor; sed probabilius, & tutius sectari, præsertim dum alteri juris regulæ favet; atqui tutius est à bello abstinere; si ergo aliunde rei disceptatæ possessio alteri competit; ut quod probabilius, quod tutius est, teneat, à bello supersedere debet.

64.Huc-

64. Hucusque credam, Germanos nobis non refragari, quia fortè cogitant ab Augustissimo Cæsare jura fortius inclinare: & subinde quod probabilius, licet non quod tutius, decidisse. Porrò licet judex, quod probabilius, & tutius simul est, sequi teneatur; non tamen tutius contra probabilius; sed satis est, si tutò operetur id, quod probabilius est, amplexando, prout tutò operari, in disputationem non cadit. Fortè etiam existimant, non posse nos hanc probabilioritatem, & tutioritatem ostendere, nisi remissivè, scilicet, lectorem remittentes ad secundam syntagmatis sectionem, in qua causa belli, & jura succedendi discutienda sunt; alioquin præposterè processuros. Unde inferent jejunum, & imperfectum relinquendum fore argumentũ.

65. Sed nos, qui partes nostras benè noscimus, atque adeò non ignoramus, quod distinctioni præfixæ insistentes, ea quæ injustum bellum hoc reddunt ex parte causæ, vel occasionis, hic versari non debent, sed suo reservari loco jam destinato; iis intactis, ex alio solidìssimo principio probabilius, tutiusque ab hoc bello abstentum iri, probabimus. Nimir. Quia Catholicus Rex est Monarchiæ Hispanicæ possessor nedum bonæ fidei; verum etiam probabilis, etiam inspecta causa proprietatis in se ipsa; hinc resultat, quod ejus jus per possessionem quietam, & pacificam evaserit probabilius. Ipse est ab Augustissimo Cæsare conventus, hinc resultat, quod fuerit tutius bellum ei nõ inferre. Ipse habet pro se juris regulas: hinc resultat,

quod ab Augustissimo Cæsare fuerit, ut justo Judice, absolvendus. Tutius ergo, & probabilius Cæsar à bello abstinuisset.

66. Hæc modò edisserenda sunt. Primò, quod sit Rex Catholicus bonæ fidei possessor patet ex eo, quod juxta Canonicas Sanctiones is censeatur bonæ fidei possessor, qui rem possidet cogitatione dominii, ignorans eam esse alienam, vel sciens esse suam, aut ad se pertinere. *leg. Bonæ fidei ff. de verbor. significat.* sicut e regione possessor malæ fidei, qui rem possidet, quam credit esse alienam, vel ad alium pertinere. Cap. *Si Virgo.* 34. *q.* 3. *cap. final de præscription.* & ibi Doctores. Dinus in regul. *possessor* Barthol. in *leg. furtum. ff. de usu capio.* § *fundi.* Balb. de præscription. 2. part. 3. part. princip. Bald. in *leg. apud Antiquos.* num. 6. C. *de furt.* Innocent. & Abb. in cap. *Vigilanti. de præscription.* Joann. Andr. in reg. *possessor.* de reg. jur. lib. 6. Bero. in cap. *Gravis. de restit. spoliat.* num. 17. Prosper Fagnan. eodem cap. num. 38. & 42. & doctissimè juxtaque solidissimè, prout de more habet Covarr. reg. *possessor.* 2. parte relect. §. 7. Similiter bonæ fidei possessor censetur, qui existimat tradentem sibi rem dominum esse. Barth. in leg. *si existimas. ff. pro soluto.* laudatus Fagnan. num. 42. post Bero. ubi supra n. 19.

67. Porrò, Regem Catholicum Monarchiam Hispanam cœpisse possidere cogitatione dominii, seu credendo eam ad se, non ad alium pertinere, clarius est, quam probatione indigeat. Nam, ut quæ hujus

loci

loci non sunt, pro nunc missa faciamus; vel in ea succeditur jure hæreditario, vel jure geniture, vel sanguinis. Si jure hæreditario institutus hæres est, successorque in ea declaratus à Carolo II. ejus magno avunculo in ultimis tabulis, sub quibus minimè retractatis, diem clausit extremum. Nec dubitare jure poterat, quin Carolus secundus verus Dominus fuerit, ut nec Austriaci dubitare audebunt: atque ideo, si jure hæreditatis succedendum sit; quin à vero Domino sit hæres constitutus. Quis hoc neget? Sin malint Germani, quod in Regnis Hispanam hanc constituentibus Monarchiam, non hæreditario, sed sanguinis jure succedendum sit: Rex Catholicus optimè sciebat, ipsum Regem ultimum possessorem Carolum proximius linea, & gradu contingere: quia uterque reperiebatur in linea descendenti Philippi IV. & intra eam lineam cōjuncti erãt in tertio gradu juxta computationem civilis juris, & in primo cum tertio juxta computationem Canonicam, cum Philippus sit nepos ex filio Serenissimæ Mariæ Theresiæ Caroli II. majoris, imò (quoad præsens institutum) unicæ sororis, Philippi IV. filiæ grandioris natu. Nec ignorabat in hac linea nullum alium locum sibi posse potiorem vindicare, præter unum Serenissimum Burgundiæ Ducem, qui propter Monarchiæ Hispanæ cum Francica, cujus hæres est, incompatibilitatem, sicut Serenissimus Delphinus Genitor utriusque, abstinere debuit ab hujusmodi successione. Cum ergo leges Regni conjunctiores linea, &

gradu ad successionem vocent, quod nobiscum fatentur Austriades; lex, quæ omni procul dubio Domina est, ipsi Regnum tradidit media Hispana Republica, quæ in hoc casu executrix indubitata legis est. Non ergo controverti potest, quòd bonæ fidei possessor sit.

68. Attenta etiam causa proprietatis, negari, me judice, nequit, quod sit possessor probabilis (ut interim abstineamus à juribus, & momentis, quæ eum certum, exploratum, & incontrovertibilem successorem demonstrant) ex eo quod stante jure, quod sibi manifestè resultat ex legibus, quibus successio Hispanica regulatur, quod tàm clarum est, ut admittatur vel ab ipsis Austriadum causæ patronis, prout ex libello SS. D. Nostro Clementi XI. felicissimè D. Petri fastigium occupanti (utinam ad plurimos annos, ut Ecclesiæ utilitas postulat enixè) apertissimè constat; nihil ipsi obstare videtur, nisi una illa decantata, & magnificata jurium renuntiatio à Serenissima Avia emissa ad nuptialium pactorum amussim. Sed hæc, quamvis adversus ipsam Serenissimam Infantem, postea Christianissimam Franciæ Reginam, aliquid potuerit obtinere; adversus tamen ejus filios, & nepotes ex opinione, nè dùm probabili, sed probabiliori, cujus probabilitatem, nemo qui frontem habeat, negare attentabit, nihil roboris habet. Etenim, ut præfatus fui, vel jure hæreditario succeditur; & tunc nullus dubitat, quin filii, & nepotes sororis renuntiantis, imò & ipsa renuntians, possint ex testamento ad hære-

re-

reditatem Patris, vel Fratris vocari, necquidquam obstante renuntiatione, ut ex communiori tùm veterum, tùm recentiorum Jurisprudentum judicio probat Covarr. ad cap. *Quamvis pactum de pact. lib. 6. 3. part. relection.* §. 3. *num.* 8. vel jure sanguinis, & tunc, quod mater, vel avia renuntians successioni, non possit filiis, & nepotibus jure suo invitatis, & ad successionem venientibus præjudicare, sciunt Germani Doctores probabilem, ne dicam probabiliorem esse opinionem. Sive ergo hoc, sive illud dicant (nam alterutrum vitare nequeunt) semper probabile est jus succedendi Regis Catholici, quod attinet ad causam proprietatis.

69. Tria illa corollaria, quæ ex his principiis resultare, prænotavimus; uno contextu probat doctissimus P. Ludovic. Molina de just. & jur. tractat. 2. allegato, disp. 103. sub lit. D. cujus hæc sunt verba. *Quando inter Principes aliquos oritur controversia circa rem aliquam, distinguendum est. Quoniam vel unus eorum erat in legitima possessione illius, ita quod bona fide, & absque dubio, quin ad se pertineret, cæpit illam possidere: vel neuter erat in tali possessione, sed morte cujusdam tertii res vacavit, & contendunt ad utrum eorum pertineat: aut certè si alter eorum cæpit possidere, id non fuit sine controversia, aut dubio, utrum ad se, vel ad alterum pertineret. In primo eventu, interim dum certum non est, ad quem res pertineat, sed dubium, & rationes sunt pro utra-*

que

que parte; neque qui est in possessione tenetur tradere totum, aut partem; nec qui est extra possessionem potest vel bellum movere, vel quidquam rei illius occupare; sed rationibus dumtaxat potest experiri jus suum; aliusque non solum tenetur eas audire; sed etiã moralem adhibere diligentiam, ut sciat an res ad se, vel ad alium pertineat, si via aliqua occurrat, unde id possit deprehendi. Pro hac doctrina citat Molin. Francisc. Victor. de jure bell. à num. 25. eamque confirmat exemplo disceptationis super Insulis Malucis, quæ diu vertit inter Carol. V. & Emmanuel. Portugalliæ Regem. Modò sic. Sed Philippus noster cæpit possidere bona fide, & absque dubio, quin Regnum ad se pertineret, tum quia ex lege succedere debebat; tum quia si aliquod ex renuntiatione aviæ dubium enasci ipsi potuisset; declaratio facta à Rege præmortuo illud penitus extinguere erat potens; tùm quia universa Monarchia, quæ de successorum juribus ad legum suarum amussim debet esse, & creditur plenius instructa, & informata, ipsum allexit, traxit, excepit, coronavit, & reliquis veræ recognitionis obsequiis prosecuta est: tùm denique quia ex parte Cæsaris nihil aut jure, aut facto gestum est, quod dubium ipsi vel minimum posset excitare: ergo ejus jus, etiam si antea, ex causæ meritis solummodò spectatis, fuisset solum probabile, evasit probabilius. Ergo nec Cæsar armis, sed rationibus cum poterat justè convenire.

70. Sed pergit adhuc prælaudatus Author sui asser-

asserti reddendo rationem, qua cætera nostra illata, aut consequia clarescunt. *Primum*, (inquit) *& secundum eorum, quæ asserta sunt ex eo probantur: quod in dubio melior sit conditio possidentis: eaque de causa qui est in legitima possessione interim dùm sibi non constat rem ad alium pertinere, nec tenetur se ipsum illa privare, neque alius, esto is judex sit, posset licitè illum ea, aut parte illius spoliare. Atque hinc ortum babuit tùm regula illa xi. de regul.jur. lib.6. cum sũt partium jura obscura, reo favendum est potius, quàm actori: is verò qui possidet reus est comparatione illius, qui est extra possessionem, & contendit rem ad se pertinere: tùm etiam regul.65. quæ babet: in pari delicto, vel causa potior est conditio possidentis: Præterea: si is, qui est extra possessionem posset in dubio movere bellum adversus eum, qui possidet, sequeretur, existente eadem cognitione in utroque bellantium de justitia utriusque partis, dari bellum justum ex utraque parte: nam qua ratione is, qui est extra possessionem posset juste rem illam bello occupare, eâdem, imò longè majori, posset eam defendere, qui est in possessione illius: quippe cum dubium æquè utrique faveat, meliorque sit conditio possidentis: id autem concedere, sanè esset concedere bellum formaliter, & materialiter justum ex utraque parte: quo nihil absurdius affirmari potest*. En Philippus noster, ex quo bona fide possidet, & possidere cæpit sine dubio, quod successio Monarchiæ ipsi competat, nec in possessionis progressu

gressu sibi cōstitit, quod successio Serenissimæ Austriadum domo debeatur; (unde enim id sibi constare potuit?) in hoc bello partes rei gerit conventi ab Austriacis; & per consequens habet sibi assistentes regulas juris, quæ possidenti, & reo contra actorem non possidentem apertissimè favent, juxta quas ejus jus de jure probabile, (hoc nobis satis est) probabilius, imo tam certum de facto evadit, ut nonnisi ex evidentia morali melioris juris actoris in possessione turbari, aut bello impeti possit. Tutius igitur Augustissimus Cæsar a bello abstinuisset; in hoc enim nullum foret peccati periculum; in illo plurimorum periculum imminet.

71. Succedat Molinæ insignis alter ipsius societatis Theologus, P. videlicet, Franciscus Amic., qui disp. 16. de just. & jur. num. 18. post quàm causas justi belli percensuit; subjungit. *Has causas debere esse certas, & exploratas, ac propterea teneri* (Principem) *ad eas examinandas advocare peritos, nec in dubio posse bellum inducere, quia cum bellum sit gravissima pœna, quam una Respublica infert alteri Reipublicæ non potest in dubio illud inferre, juxta regul. juris in 6. cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius, quàm actori; sed qui bellum infert, suscipit partes judicis, & actoris simul: ergo cum causa est dubia, debet à bello abstinere.*

72. Ne tamen videar solos Theologos ostentare; non gravabor insignem nostri temporis Jurisconsultum perspicacissimæ, & oculatissimæ mentis, in qua

qua nullas ad mortem usque tenebras passus est, licet corporis lumine orbatus, in medium proferre; res enim tàm clara est, ut vel cæci ipsam videant. Is est Illustrissimus Prosper Fagnan., qui in commentario ad cap. *Ne innitaris. de constitutionib.* postquam acerrimè invectus fuisset in usum probabilitatum, prout a modernis Casuistis praxi traditus est; eos num. 306. inconvenienti ex bello petito gravissimè urget his verbis. *Nam defensores probabilitatum contendunt licere invicem bellare, etsi utrinque sint opiniones probabiles, quod bellum sit justum, ut Joann. Sancius aliàs citatus in practic. disp. 44. num. 58. Hoc autem absurdum est, quia bellum ex utraque parte justum non datur: nam ut scripsit Angelus Aretin. cons. 96. in themat. num. 44. in fine: Cùm bellum sit contrariorum, necesse est, ut una pars foveat injustitiam, quia si unum contrarium est æquum, necesse est, ut aliud sit iniquū. leg. 1. de his, qui sunt sui, vel alieni juris. unde contra Joann. Sanc. tenent Vazquez, & Villalob. infra allegati num. 375. Id quod specialem habet rationem: quia cùm in pari causa melior sit conditio possidentis; leg. qui accusare. C. de edendo. cum concordantib. & possessor dicatur habere potiora jura, etiam si nullum jus habeat. leg. uti frui. § fortè. ff. si ususfructus petatur. Paul. de Castr. cōs. 76. In facto isto. lib. 2. iniquum est, ut Rex, qui pacificè Regnum possidet, in paritate opinionum utrinque probabilium, & longè magis si pro se habeat opinionem magis probabilem, de sua*

possessione vi deiiciatur. Longiuscula profectò testimonia, sed, quia rem continent, minimè prætermittenda, aut intersecanda.

73. Post tanti judicis suffragium meritò cuivis videretur, supersedendum fore, nec ulteriori confirmatione opus esse. Verùm unū omittere mihi liberum non est, nempè. Quod licet non defuerint Authores, qui contrariam sententiam tradiderint: id, quod ex ipsius Fagnani contextu satis superque liquet: hi solum loquuntur in casu æqualis probabilitatis de jure, quæ sanè sententia, ut benè observat P. Ascan. Tamburin. superius laudatus, num. 32. non potest reddi practicè probabilis, nisi in casu, quo evidentia moralis juris ictoris faceret illam non solum probabiliorem, sed certam. *Nam possessionem favere posfidenti* (ubi non constat de veritate) *est lex canonica, & regula juris ab omnibus observanda*. Unde hi ipsi Doctores cum Cardinal. de Lugo. tom. 1. de justit. disp. 16. sect. 5. nu. 98. fatentur, non posse justè intentari bellum Regi posfidenti probabiliter probabilitate facti à Rege rationibus facti munito probabilibus, imò probabilioribus, eo quod obstet lex canonica possesionis, cui omnes sine discrimine fideles subsunt. Quid putamus dicturos, si bellum intentaretur Regi probabilioribus juris, & facti momentis vallato, qualibus Rex Catholicus vallatus est, ut ex processu syntagmatis luculentissimè apparebit? æquus lector dijudicet, si judicio opus erit.

§. IX.

§. IX.

Injustitia belli illati ex opinione minus probabili, minusque tuta, quia bellum bellum est, ostenditur.

74. QUanta, quàmque sæva mala ex bello oriantur in superioribus aliquatenus depinximus, adeò ut necessitas bellandi, etiam ex causa justa, & explorata, per se mala sit, bellumvè in eo eventu malum necessarium. Quid erit si ex opinione solum probabili assumitur contra eum, cui vel probabilior, vel æquè probabilis cum possessione pacifica, & bonæ fidei assistit? etiam si præscindamus à motivo in præeunte §. expenso, nim. quod inferens bellum judex sit, & bellum judicii militaris, & violenta executio, quæ ex probabilibus solum, reo convento, & pacificè possidenti bona, ac probabili fide, seu conscientia, nequeat intentari; adhuc ex eo solum, quod in grave vergat detrimentum unius integræ Reipublicæ, in populorum stragem, in multorum innoxiorum perniciem, sub eisdem circunstantiis minoris, vel æqualis probabilitatis, ex adverso existente probabili, & bonæ fidei possessione, inferri nequit.

75. Enim verò si paucos illos Authores excipiamus, qui indifferenter, & in omni eventu contendunt posse impunè ad praxim reduci opinionem minus

probabilem, & tutam, dimissa probabiliori insimul & tutiori, quos laudatos animosè potius quàm validè sequitur Marcus Vidal; reliqui omnes constanter tenent, vel in nullo casu licere juxta eam operari, vel saltem non licere, quando ex ejus sequela derivaret in proximum grave malum; & propterea à generali regula plures casus excipiunt, in quibus non liceat operari nisi ex probabiliori, aut tutiori opinione, inter eosque ii duo locum sibi vindicant, scilicet, Judicis, & Principis, quibus nec judicare, nec bellum inferre liberum est ex opinione minus, vel æquè probabili, & tuta adversus possessorem probabilem, & bonæ fidei, de quo luculenter Mastr. noster tùm in 2. sentent. disp. 5. q. 3. num. 145. tùm etiam in Theolog. moral. disp. x. q. 4. art. 2. num. 109.

76. Et ratio naturalis id perspicuè suadet. Quoniam naturæ recta institutio dictat, ad finem incertè bonum consequendum non deberi applicari media, quæ nisi ex fine, ad quem ordinantur, honestentur, certam, & indubitatam malitiam præseferunt; prava enim censenda ea electio foret, in qua per certum malum pergeretur ad dubium, & incertum bonum; cum enim bonum incertum non posset in medium influere nisi incertam honestatem, dubiam, vel probabilem, nunquam illud à certa, & indubiæ malitia liberaret. Ideo quia homicidium est malum, nisi ex fine honestetur, nequit ad finem incertè bonum ordinari, unde nō licet judici ad incertum finem justitiæ vindicativæ,

& exem-

& exemplaris hominis mortem, vel capitale supplicium dirigere. Propterea leges naturali æquitati innixæ satius autumarunt incertum reum impunem dimittere, quam incertum innocentem damnare. Sed bellum parturit innumera mala certa, quæ non nisi ex fine possunt honestari; ergo ex fine probabiliter solum justo, ac subinde dubio, & incerto, nequit Princeps ad bellum inferendum procedere: sed quod tutius, quod omni periculo vacat, hoc tenetur amplecti, quale est à bello abstinere.

77. Redeat iterum prelaudatus doctissimus Prosper Fagnan. paulo inferius loco allegato: nec timeo, quod excludendus veniat, quia testis de visu non sit, melius enim, & intensius vidit hoc, oculis clausis, quam alii quantumvis perspicacissimi obtutus. Infit ergo. *Præterea: cum abstinere à bello inferendo sit tutius, & res dubia sit propter æqualitatem contrariarum rationum: in hoc dubio Rex tenetur sequi opinionem, quæ periculo vacat: Ex quibus patet, quàm sit perniciosa Christianæ Reipublicæ hęc doctrina probabilitatum, quæ publicam pacem sæpè sæpius turbat, & inflammat Reges ad bella gerenda. Timorati enim Principes antequam rem tàm arduam aggrediantur, consueverunt exquirere à suis Theologis, & directoribus conscientiæ, quid sibi liceat: à quibus audientes sibi favere in pũcto juris opinionem probabilem, quam tuta conscientia sequi possunt, licet opposita sit probabilior, ac tutior, huic damnabili consilio acquiescentes*

bel-

bellum movent, quod est perditio animæ, corporis, & substantiæ : ut in Autbent. de armis in principio. Bellum est perditio animæ, corporis, & substantiæ, si non in omnibus, ut in pluribus, & adhuc erit qui audeat propugnare posse Principem licitè, & in conscientia tutum, dare operam huic morali plurium sive suorum, sive aliorum perditioni, ut jus anceps, dubium, & incertum persequatur? Profectò solemnissimè hi Theologi, si Theologorum cætui qui talia effutiunt, accensendi sint, solemnissimè, inquam, desipiunt.

78. Sed ut hi Theologi rubore, si frontes habent, suffundantur producam de hoc argumento disserentem, non Augustinum, non Gregorium, non Ambrosium, vel Hieronymum, aliumvè ex Sanctis Patribus, Ecclesiæ aut Doctoribus, de quibus prout pietatem, justitiam, & lenitatem amabant, dubitari nequit, quin hos piissimos sensus passim instillent: sed virum Calvinianæ hæresis labe infectum, à quo tutiora dictamina in his discriminibus edoceantur. Is est Hugo Grotius, in quo licet Philippus Brietius ad annum Christi 1619. dicat. *Vix hæretici quidquam fuisse præter externum cultum, & nomen, quæ etiam parabat ejurare, ut significavit mihi, & Dionysio Petavio, idque fecisset maturius, nisi ad Ecclesiam comitatior, licet fortè imprudentior redire maluisset.* Re tamen vera qualis vixerat, hæreticus mortuus est. Hic igitur Author de jure bell. & pac. lib. 2. cap. 73. num. 5. hæc habet ad subjectum institutum. *Accidere*

autem

autem in multis controversiis potest, ut ab utraque parte probabilia se ostendant argumenta, sive intrinseca, sive ab aliorum authoritate. Id cum accidit, si res mediocres sint, de quibus agitur, videtur vitio carere posse electio, in utramvis partem ceciderit. At si de re magni momenti, ut de supplicio capitali hominis agitur; jam propter magnum discrimen, quod est inter eligenda, præferenda est pars tutior; ut dici solet: In istam partem potius, peccato tamen. Quo ex principio consequenter num. 6. infert. *Maximi autem momenti est bellum, ut ex quo mala plurima etiam in innocentes sequi soleant; ideò inter sententias alternantes vergendum ad pacem.* Tandem num. xi. *Quamquam verò in causa dubia pars utraque tenetur quærere conditiones, quibus bellum vitetur, magis tamen id tenetur qui petit, quàm qui possidet. Ut enim in pari causa melior sit possidentis conditio, non civili tantum juri, sed & naturali convenit; cujus rei causam alibi etiam ex Aristotelis, quæ dicuntur, problematibus attulimus*. Citatque pro hac sententia Victor. de jur. bell. num. 27. & 30. Lessium de just. cap. 29. dub. 10. Lorca 2. 2. disp. 53. quæst. 40. Sotum de just. disp. 41. art. 7. Covarr. in reg. *pecccatum.* §. 10. num. 6. Fulgos. lib. 5. de just. Picolomin. lib. 6. civilis Philosoph. cap. 11. Alberic. Gentil. lib. 4. cap. 6.

79. Verùm committere non possum, ut objectionem, quam contra statuta tàm in præsenti, quam in præmisso §. possunt Austriaci instruere, prętermittam.

Di-

Dicent ergo, Regem Catholicum obtinuisse quidem possessionem Monarchiæ quietam, & pacificam; sed Hispanos debuisse eam non conferre; ex quo enim sciebant, vel scire tenebantur, Augustissimum Cæsarem ex vi renuntiationum Serenissimarum Franciæ Reginarum Annæ, & Mariæ Theresiæ in earum jura successisse, hæcque per testamenta utriusque Philippi III. scilicet, & IV. sibi firmata fuisse, necquidquam obstante Caroli II. testamento, debuisse credere, saltem hujusmodi successionem esse controvertibilem, atque adeo abstinere à possessione conferenda, partesque interesse prætendentes ad jura citare, prout Aragonii in exemplo à nobis dato §. III. fecerunt. Cum ergo e perverso se gesserint possessionem statim conferendo, partibus ex opposito resistere potentibus non monitis, aut vocatis, non videtur hæc possessio, cui argumenta præcedentis, ac præsentis §. innituntur, alicujus roboris esse, nec Cæsar eam in pretio habere debuisse, ac proinde jura sua prosequi potuit perinde, ac si talis possessio nunquam fuisset.

80. Regi nostro Philippo non ex gratia, sed ex jure possessio Monarchiæ collata est, nec ipsi citra injuriam posset denegari, sive Augustissimus Cæsar exciperet, sive non. Etenim vel successio est hæreditaria, ut quidam autumarunt, vel lineatica, & ex jure sanguinis, ut alii melius dixerunt, vel tertio quodammodo ex utroque commisto, ut arbitrati sunt alii in Regnis succedi: & sub quavis consideratione Rex Ca-

tho-

tholicus incunctanter mittendus erat in possessionem, sive reclamaret Cæsar, sive non. Ad primam quod attinet considerationem; quia hæredi scripto ostendenti tabulas, in quibus instituitur, denegari possessio non potest ex leg.final. C. de interdicto Divi Hadriani tollend. ut monet P. Ludovicus Molin. de just. & jur. disp. 638. num. 3. cum ergo Rex noster Philippus institutus reperiatur hæres universalis Caroli II. quo jure, si Regnum hæreditas est, denegari, aut differri ipsi possessio poterat? Si verò jure sanguinis succedatur, nec etiam ipsi possessio poterat denegari: nam cum fœmina ex juris Hispani, & communis dispositione ad fideicommissa, ad majoratus, ad regna admittantur, deficientibus masculis ejusdem lineæ, & gradus, in judicio possessorio adversus masculos remotiores obtinere debet ex vulgari text. in cap. 1. §. *inter filiam. Si de feudo defunct. content. sit inter dom. & agnat.* ibi. *Apud filiam possessionem interim esse collocandam*. Et in versic. *defuncto. Respōdi filiam in possessionem feudi manere debere, donec de eo judicetur.* ut ex hoc eodem textu censuerunt And. de Isern. Bald. & Alvaros cum aliis innumeris, quos citat Molin. de Primogen. lib. 3. cap. 4. n. 41. qui eam vocat communem sententiam, observans etiam num. 42. quod licet textus in dicto §. loquatur de filia respectu successionis patris, idem est judicium de sorore respectu successionis fratris, ut asserit Deci. cons. 498. num. 4. cum aliis pluribus ab eodem Authore citatis, atque adeo de filiis, vel nepotibus

N so-

sororis, qualis est Rex Catholicus respectu Caroli II. ex eadem prorsus ratione.

81. Nec relevat, quod contra ipsum potuerit opponi exceptio renuntiationis à Serenissima Avia emissa. Hæc enim in judicio possessorio nequibat obstare, quia cum illud summarissimum sit, non admittit exceptiones, quæ ad causam proprietatis spectant, & altiorem indaginem desiderant, qualis est ista, nisi fortè tales sint, quod possint incontinenti probari, prout decisum expressè habemus per leg. 9. Tauri tit. 7. lib. 5. novæ collection. in qua tempus ad has exceptiones opponendas, & probandas præfigitur. Cum ergo exceptio illa multa discutienda cõtineat in facto, & in jure, ut an fuerit libera, vel coacta? an cum errore circa substantiam, vel causam finalem? an absoluta, vel limitata, & pro quibus casibus? an in ea inciderit enormissima læsio? an potuerit stipulari in præjudicium filiorum, vel ulteriorum descendentium? an, cum causa dotis facta sit, dote non soluta, subsistat? an præjudicet respectu successionis fraternæ, cum solum sit paterna? an, ea non obstante, possit succedi ex testamento? an debeat substineri deficientibus omnibus masculis, & fęminis ejusdem lineæ, & gradus? & alias satis implexas quæstiones, quæ nedum incontinenti, sed nec multiplici annorum revolutione trutinari possunt; profectò in judicio possessorio attendi, etsi opposita fuisset, non deberet. Multo tamen minus, quando nullus est qui excipiat. Quando enim

suc-

successor ostendit scripturam originalem majoratus, ex qua liquida fit ejus vocatio, si nullus excipit, non est cur statim in possessionem non mittatur, & interesse habens, si non comparuit sibi imputet; alioquin nec remediis destitutus est; habet enim interdicta possessoria, quibus uti potest. Non ergo Hispani poterant possessionem Regi Philippo denegare, vel diferre, cui lex Regni, quæ est hujus majoratus scriptura, expressè favet, & in omnium oculis posita ad successionem invitat; vel Augustissimum Cæsarem citare, aut vocare ad disceptandum; sed ipse per suos Ministros recurrere debebat, licet recursus ex dictis fuisset inutilis. Sed cum hanc instantiam omiserit, interdicto adipiscendæ, armis, scilicet, totus incumbit.

82. Demùm si tertio illo jure Regnorum successioni proprio, ut alii opinabantur, successio deferenda erat, quod partim hæreditarium, partim sanguinis sit; hoc privativè competere Regi Philippo nostro, extra controversiam, me judice, est. Ipse enim jure sanguinis proximior linea est, respectu Regis prædefuncti, quod non negant Austriades: ipse est ab eodem Rege hæres institutus: cum e regione neutrum habeat Augustissimus Imperator, vel ejus Serenissimus Filius; si ergo hæredi ostendenti testamentum, fęudatario ostendenti investituram, ex quibus vocatio resultat, & successori ostendenti authographum majoratus, possessio statim concedenda est, quis eam negaret Catholico Regi Philippo V. ex testamento, ex Regni

fundamentalibus legibus simul ad successionem aspiranti?

83. Porrò exemplum Regni Aragoniæ successionis nobis nequit inflecti ob manifestissimam rationem discriminis. Primo enim, quod attinet ad concedendam possessionem uni præ aliis, non poterant induci Aragonii ex motivis incontinenti examinandis in summarissimo illo judicio, quia omnes prensantes successionem demortuũ Regem eodẽ gradu contingebant, & in hoc pares erant; disparitates vero, quibus quisque foveri adversus alios credebat, proprietatis potius causam, quàm possessionis respectabant: Rursus nullus poterat præ alio testamentum præmortui Regis allegare, quia ipse Regnum reliquit, cui prout de jure: quæ clausula potius possessorio judicio repugnabat, quàm illud permittebat. Unde merito ad causam, seu judicium proprietatis omnia partium argumenta remissa sunt. Deinde, quod interesse prætendentes citaverint, verum est; sed postquam, & vivo, & mortuo Rege, sæpè sæpius instarunt. Hæc omnia in specie nostra inversa concurrunt. Nam Rex Philippus lineæ, & gradus potioritate Cæsarem, & ejus sobolem antecellit; hæres Caroli institutus; successor declaratus; ab Austriacis nulla juridica instantia, nec vivente, nec mortuo Rege præsentata; protestatio facta. Reliquum est, ut asseramus in utroque casu ex jure omnia processisse. Unde non mirabitur æquus lector, si Regi Catholico cũcta prosperè, Augustissimo

verò

verò Cæsari, etsi in belli proœmio fortuna præluserit; cuncta jam infaustè succedant: bello injustè illato certissimè vertat; ut enim satis ethicè; & ad præsens institutum aptissimè, Dio Cass.lib. 12. *Maxima nobis justitiæ habenda est ratio, quæ si adsit, vis bellica spem bonam habet; sin absit, nihil quis certum habet, etiam si prima ex sententia succedant.* Ex his satis eluxit, ut opinor, injustitia belli hujus, ex parte Authoris, nec minus, imò magis ex parte causæ, ut credimus, elucescet.

SECTIO II.

Injustitia belli Austriaci à parte injustæ causæ referatur:

EA injustitiæ labes, quæ bello ab injustitia causæ derivat, maxima, & potissima est, ipsumque substantialiter inficit; esto enim ab Authore injustum esse possit, ut vidimus, hæc tamen injustitia potius ex inversione ordinis ipsi adhæret, quàm ex fundamenti defectu. Cæterum quæ à causa erumpit, fundamentalis est. Sicut ergo si fundamentum ruinosum sit, necesse est ruat ædificium; si causa belli injusta est, necessario belli structura superædificata corruit. Perinde ac in judiciis aliis aliæ sunt nullitates ordinis, aliæ verò substantiales, quarum defectu redditur judicium injustum, sed diverso modo; priores enim sanari possunt;

po-

posteriores verò neutiquam; & hujus posterioris generis est, injustitia causæ respectu judicii bellici. Ut enim eleganter scripsit Demosthen. Olynth. 11. *Sicut in domibus, & navigiis, rebusque similibus, quæ substernuntur firmissima esse oportet: ita in actionibus causas, ac fundamenta oportet justo, ac vero congruere*. Deberet ergo Principibus bellum commissuris salubre illud Coriolani consilium oculis obversari, apud Dionys. Halicarnas. *Id primum vobis curandum arbitror, ut piam, & justam accipiatis belli causam*. Consilium nedum Gentili, sed Catholico Principe dignum: quod belligerantium conscientiam in tuto ponit; & infallibili quadam sequela felices spondet eventus. *Tantùm etiam inter arma* (Panegyrist. attestante) *bona conscientia sibi vindicat; ut jam cœperit non virtutis magis, quàm integritatis esse victoria*.

Non tamen diffiteri ausim, quin aliquando belli exitus causæ justitiæ non respondeat; cum sciam non semel sanctissima, & piissima bella fructu fraudata. Quodnam justius sanctiusvè bellum, quam quod S. Ludovicus barbaris intulit? & tamen semel, & iterum intentatum, semel & iterum infortunatos, & tristes exitus habuit. E contra quot non scimus prosperatos tyrannos, qui quò injustiùs decertarunt, magis stipendialem habuisse videntur victoriam. Ferè unius sęculi spatio Mahumetani signa sua super universæ pænè Asiæ, Africæ, Hispaniæ arces fęlicissimè statuerunt. Sed hæc dixerim bella, an Dei irascentis flagella?

gella? Ipse Alaricum in Romam pepulit. Ipse Vvandalos, Silingas, Svevos, Gotthos, Hunnos, Francos ab avitis regionibus excussos Romano obarmavit Imperio. Ipse Arabas in Africam, in Hispanias, hominum commotus, lacessitus, provocatus delictis, conduxit, suæ justitiæ vindices, suæ indignationis dexteras executrices, qui non semel ***armavit creaturam ad ultionem inimicorum suorum***, ***& pugnavit pro ea orbis terrarum contra insensatos***. At si de causæ merito victoria adscribenda sit, ut regulariter evenit; causæ justitiæ fructus erit; prout in præsentiarum nobis licet conjectare, fortuna juri Regis nostri Philippi tàm hilari vultu arridente, ***ut jam cæperit non virtutis magis, quã integritatis esse victoria***.

Nec ideo petulanter asseverabo, bellum hoc, quod tanto ardore, armorum apparatu, & strepitu illatum à Cæsare est, cujus prima arena Italia fuit; nullis omninò causis subniti: hoc enim de tanti heròis innotescente pietate credere nefas esset: habet ergo suas causas, non justificas, sed suasorias, & justitiæ colore fucatas, quas si occasiones dixerimus, potius quam causas, proprius loquemur, & satius. Hæ tamen si adamussim liberi rectique judicii expendantur, licet à Cæsaris Ministris forsan magnificatæ, & exaltatæ citra veritatem, ultra justitiam; insubsistentes sunt, vel tam exilis probabilitatis, & verisimilitudinis, ut si quales sunt, Augustissimo Cęsari præsentarentur; bellum justificare haud possent. Quippe, ut præmisimus, ad bellum infe-

ferendum prætextus, & colores satis non sunt, præcipuè contra justè possidentem; sed ea probabilitas, & verisimilitudo necessaria est, quæ sufficiat, ut affirmetur justitiam exploratam, perspectamque esse, quæ tanta esse debet, ut moralem certitudinem producat: alioquin in omni prudentum sive externo, sive interno tribunali, aggressorem causa cadere, necesse erit, nec à piaculo injusti belli, & stragis consectariæ insons peterit diffiniri.

Defendendum equidem suscipimus, Catholico Regi nostro Philippo V. ad universæ Hispaniarum Monarchiæ successionem adfuisse jus nedum quomodolibet probabile, sed longè probabilius, quàm Austriadum aliàs præclarissimæ domui; ut propterea dici debeat certum, perspectum, evidens eo tamen evidentiæ genere, quod subjecta materia permittit. In moralibus namque stultum esset quærere eam evidentiam, vel certitudinem, quæ reperitur in mathematicis. Etenim ex Arist. 1. Ethicor. cap. 3. indisciplinati hominis est eamdem in omnibus certitudinem quærere; debet ergo quivis conquiescere, dum certitudinem eam reperit, quam producere nata est materia, de qua disceptatur: æquale quippe vitium est mathematicum velle persuadentem, & Ethicum demonstrantem. Siquidem in contingentibus ex quavis etiam minima circunstantia hypotesis sic alteratur: *Ut quid cui anteponendum sit, difficilis sæpè est judicatio*, ait Philosop. 3. Ethic. prælaudato. Cæterum, quando in his materiis

opi-

opinio occurrit notabiliter, & sensibiliter opposita probabilior, hæc dicenda est absolutè certa, quia habet illum certitudinis gradum, qui in subjecta materia potest obtineri: quando quidem jura opinionem vehementem certitudinem reputant. Gloss. in leg. *irrepudianda*. in verb. *certus*. ff. *de acquirend. hæredit*. Bald. in leg. *si quis extraneus*. §. *sciendum*. ff. eodem tit. Ancharan. cons. 354. *visis diligenter*. num. 4. versic. *Et quod vehemens opinio*. favet text. *in cap. veniens. de presbit. non baptizat*. in fine ibi. *Et hæc præsumptio pro certitudine sit habenda*, & in cap. *Afferte. de præsumption*. Ex quibus consequi licet, quod quamvis jus, quod Augustiss. Leopoldus pro hujusmodi successione prętendit, in se spectatum probabile esset; compositum, cum jure, quod Regi nostro Philippo adest, ab omni probabilitate necessariò decidet; quia cum hoc sit juridicè, & legaliter certum, utpotè vehementissimè probabile; quod illud sit legaliter, & juridicè falsum, necesse est, ex dialectica contradictionum lege.

Sed enim instituto nostro proprius accedentes; duplicis generis argumentis nobis utendum erit, aliis offensivis, defensivis aliis; priora positiva sunt, quæ, scilicet, vindicant, & asserunt jura Regi Catholico Philippo adhærentia; posteriora negativa, quia contraria momenta dissipabunt, quibus disiectis, vel uti lux discussa caligine, aut fugatis nubilis, justitia causæ nostræ magis, magisque elucescet. Propterea hanc sectionem in duas partes distribuemus, quarum prima

O argu-

argumenta nostra exhibebit; altera opposita refutabit. Illud tamen, ut ingenuitati meæ consulerem, duxi præmittendum, quod si quid in hac sectione, quæ potius juridica, quam theologica est, curiosus Lector offenderit, ex his quæ Illustriss. & Spectabiliss. D. Seraphinus Biscardus Regens Neapolitanæ Cancellariæ, & Quinquevir Collateralis Consilii eruditissimus, & quàm mea indigeat commendatione, notissimus, vel perillustris Supremi Capuanæ, seu Sanctæ Claræ, ut dicunt, Consilii Auditor, singularissima juris cognitione, & probitate jam diù cunctis commendatus Amatus Danio in suis de hoc subjecto emissis opusculis, si quantitatem molis, justis operibus, si spectemus quantitatem virtutis, ediderunt; sciat me ex illis mutuare non erubuisse, meoque instituto aptasse. Quid enim erubescam extraneæ professioni addictus, per doctissimos in sua arte proficere? Nec crediderim, ex quo eorum scripta publici, & communis juris facta sunt, furti idcirco, aut peculatus justè posse damnari. Hoc autem dissimulare non debebam. Indignum namque duxero, illaudatos præterire, per quos profecerim.



PARS I.

PARS I.

Fundamenta nostra proponens.

In hac priori Parte, juxta superius præmissa, argumenta positiva pro jure certo Regis Catholici expendenda suscipimus, ut opportunius postea contraria refellamus.

§. I.

Lex fundamentalis Regnorum Castellæ, & Legionis controversiæ decisioni præmittitur.

84. HIspaniarum successio ex Hispanis legibus pensanda, & diffinienda est. Cum enim sit Hispania sui juris, absolutissima, & independens, ut sect. præcedenti §. 2. satis superque probavimus; nonnisi ex patriis legibus causæ disceptari, aut decidi possunt. Porrò juris communis seu Cæsarei sanctiones nullam majorem authoritatem prætendunt, quàm prudentissimorum, & Juris consultorum hominum opiniones præseferant; nec nisi ut doctrinales decisiones allegari permittuntur; ut ex leg. 1. Taur. manifestum fit: quod multis probat insignis Jurisconsultus Joann.Lup.de Palat.rub.in repetit.rubric.de donat.in-

ter vir.& uxor. num. 16. Id ipsum ex eadem ratione in Francia observari; ostendit pluribus etiam Carol. Grassal.lib.1. Regal.Franc.in vii.jure.pag.94.asserens leges Imperiales in eo Regno non admitti, nisi quatenus rationi innituntur.

85. Idcircò, ut à radice, & fundamento præstitutæ thesi, seu juri succedendi in Hispanam Monarchiam, Catholico Regi Philippo competenti, firmitatem securius, & solidius auspicemur; ab his nationalibus legibus authoritatem, & patrocinium venabimur, quæ dumtaxat disceptationem legali, & judiciaria potestate dirimere possunt. Quæ sive juri Cæsareo consentiant, sive ab eo dissonent, aut discordent, parum nostra interest. Quia legem habemus, & secundum legem nostram Philippus Rex noster est. Interim dicant, clament Cæsariani nos non habemus Regem nisi Cæsarem. Non enim veremur, nè veniant Romani, & tollant locum nostrum; & gentem. Verumtamen suo queque loco ostendemus jura nostra patritia, quæ se solis sufficiunt Monarchiam Catholico Philippo asserere, ejusque jura extra aleam ponere; à jure, sive Cęsareo, sive Canonico non exorbitare; quinimò ipsis, & quòd amplius est, juri naturali, & gentium, perpetuo; & amico fœdere cohærere.

86. Gotthorum Reges electionis jure, cessante tyrannide, & intrusione, quæ non semel accidit; ad Regium fuerunt evecti fastigium. Hæc Regni assecutio, ab Athaulpho, qui primus Hispanias sibi per Honorium

noriú Imperatorem concessas, vindicare ab Vvandalis, & Svevis (qui nullo alio jure, quàm quod in armis est eas occuparant, & detinebant) & Gotthorum sceptro submittere cæpit, usque ad Rodericum, quo pereunte, eorum Imperium ab Arabibus occupatum est; in usu, & viridi observantia fuit. Id ex Toletanis Conciliis clarius apparet, quàm quod probatione indigeat. Enim verò in Concil. Tolet. 4. Sisenando Rege, coacto, canon. 49. conceptis verbis statuitur. *Nullus apud nos sub præscriptione Regnum arripiat: nullus excitet mutuas seditiones civium: nemo meditetur interitus Regum: sed defuncto in pace Principe, Primates totius gentis cum Sacerdotibus successorem Regni consilio cõmuni constituant; ut dùm unitatis concordia à nobis retinetur, nullus patriæ, gentisque dissidium per vim, & ambitum moliatur.* Huic canoni cohærentia statuta, vel restituta sunt in Tolet. 5. Rege Chintilane, can. 1. cujus ea sunt verba, *Quoniam sunt inconsideratæ quorundam mentes, & se minimè capientes, quos nec origo ornat, nec virtus decorat, qui passim licenterque putant ad Regalis Majestatis pervenire fastigia; hujus rei causa nostra omnium cum invocatione divina profertur sententia. Ut si quis talia meditatus fuerit, quem nec electio omnium præfecit, nec Gotthicæ gentis nobilitas ad hunc apicem trahit sit consortio Catholicorum privatus.* Sed quia impotens adhuc aliquorum imperandi libido contra jus, & fas Regnum violenter, & tyrannicè occuparat, priori lege minimè ob-

obstante; quasi hac posteriori satis consultum non esset electionis libertati, eam in 6. Concil. sub eodem Rege celebrato, denuò inculcare duxerunt. *Rege defuncto* (statuunt Patres) ***nullus tyrannica præsumptione Regnum assumat, nullus sub Religionis habitu detensus, aut turpiter decalvatus, aut servilem originem trahens, vel extraneæ gentis homo, nisi genere Gothus, & moribus dignus, provehatur ad apicem Regni.***

87. Hæc cùm clarissima sint, nec aliquatenus eludi possint, testimonia, non possum non mirari vehementer doctissimum virum paulò ante prælaudatum Joann. Lupum de Palat. rub. de obtentione Regni Navarræ §. 10. p. 6. dubitare potuisse, an in Regno Gothorum successio jure sanguinis, aut geniture, vel potius jure electionis deferretur? Idque incertum, & sub judice esse, asseverasse. Fortè deceptus est vir tantus exemplis Recaredi, qui suffectus est Leuvigildo, Liubæ, qui successit Recaredo, Flavij Recesuinthi, qui subrogatus fuit Chindasuintho, Vvitizzæ, qui Egicani successit, filii scilicet majores natu, genitoribus. Sed enim hæc exempla solum suadent, aliquando filios parentibus successisse, non sanguinis quidem jure, sed genitorum providentia; qui ut in eos sceptrum infallibili sequela transiret, adhuc superstites, electorum accedente approbatione, & consensu, Regni consortes, participes vè fecerunt; ut Romani Imperatores, milite consentiente, & approbante Senatu, vel Augustos, & Imperii socios cooptabant, vel declarabant Cæsares, quibus

bus, post eorum obitum Respublica concredita ipso jure erat. Nec propterea quod plures filii genitoribus suffecti sint, Imperium jure sanguinis ipsis obvenit; licet non negemus in ultima, & jam devexa Imperii ætate, vel amorem à Principibus suo generi conciliatum, ut planè accidit Magni Theodosii soboli: vel imperantium astum, illud pene hæreditarium reddidisse ob diutinam in eadem domo sceptri perseverantiam. At nec hoc satis est, ut absolutè affirmetur hæreditarium, aut jure sanguinis successibile fuisse. Sceptrum enim Poloniæ quoadusque omnino extincta est familia Sigismundi, in ea conservatum est, iterata semper electione in posteros ob egregia Sigismundi merita, nec propterea Successores illud sanguini arrogare unquam ausi sunt.

88. Id ipsum Gotthicæ accidisse Genti, quæ reliqua nunc sunt illius temporis monumenta pervium reddunt. Ex illis namque deprehendimus Leuvigildum filium Recaredum Regni participem obtinuisse; Chindasuinthum, Recesuinthum; Egicanem Vvitizzam. Pariter Recaredo suffectum fuisse Procerum suffragiis Liubam primogenitum, sed quia dulcissima Recaredi memoria, religione, & justitia subornati electores in filii, genitori simillimi, exaltationem conspirarunt. Nec dissimile quid accidit Recaredo II. cui Sisebuti religiosissimi Principis egregia bello, & pace facinora electorum animos solicitarunt, quò ad thronum post patris discessum veheretur. Quinimo in ipsis exemplis

op-

oppositum translucet, si diligenter expendantur. Nam Liubæ Recaredi primogenito, non successit immediatè Svinthila secundogenitus, sed Vvitericus Regni invasor; Vviterico Gundemarus, Vviterici interfector. At cum hi arrepta tyrannide regnaverint, nec jus electionis, magis quàm sanguinis probant; bene tamen electio probatur, & successio linealis exploditur ex eo, quod Gundemaro defuncto, libera electione, suffectus fuerit Sisebutus, & Sisebuto Recaredus II. Svinthilane præterito; qui tandem Recaredo huic postremo, post varias fortunas, subrogatus est. Similiter Receſuintho non successit Theodofredus secũdogenitus; sed Vvamba volens nolens Rex renuntiatus fuit, teste Toletan. in suo Chronio. Vvambæ tandem, præterito iterum Theodofredo, successit Hervigius, à quo usque ad Rodericum Chindasuinthi nepotem sceptrum à domo veteris Recaredi exulavit.

89 Sed eò magis miror virum utriusque juris, & Hispaniarum legum cum primis scientissimum hoc potuisse in dubium revocare, quò evidens est, id constare ex priscis Gotthorum legibus, quæ etiam nunc in ea collectione, quam forum judicum dicunt, seu vernacula lingua, *fuero juzgo* perseverant. Siquidem in procemio leg. 1. habetur. *En esta ley dicen, como deben ser esleidos los Principes, y que las cosas, que ellos ganan deben fincar al Reyno.* Et in leg. 2. ejusdem procemii, luculentius adhuc eadem electio diffinitur. *Doncas establecemos, que de aqui adelante los Reyes*

deben

deben ser esleidos en la Cibdad de Roma, o en aquel lugar donde murio el otro Rey con consejo de los Obispos, y de los Ricos homes de la Corte, y del Pueblo, y no debe ser esleido de fuera de la Cibdad, ni de consejo de pocos, ni de Villanos de el Pueblo. Et quamvis eruditissimo viro D. Ludovico Molina suo celebri opere de Primogen. verbum illud. *En la Cibdad de Roma.* Negotium facessat; existimetque in annotationibus, quas operi eidem in calce subjunxit, annot. 1. ad cap. 2. lib. 1. nu. 11. mendum ibi irrepsisse, castigandumque esse, seu restituendum locum, ut pro. *En la Cibdad de Roma.* legatur. *En la Cibdad Regia.* prout, ipso teste, in latinis exemplaribus legitur. *Quod* (inquit) *manifestum est codicis mendum, tametsi id in omnibus libris hispanis verbis scriptis semper hoc pacto appositum sit: cum non in* Urbe Roma*, sed in* Urbe Regia *sit legendum, prout in libris latino sermone conscriptis legi solitum est.* Aliis tamen, qui Gotthorum ritus, moresque penitius introspexere, retinendum esse verbum placet. Gotthi enim tam æmuli Romani Imperii fuere, quàm à nobis in superioribus expositum est. Unde sicut in aliis pluribus, quæ inibi adnotavimus, Cæsares æmulari contenderunt, non mirandum si Regiam Urbem Toletum Imperii caput, hoc nomine adornare gestierint, prout Magnus Constantinus Bizantinam Regiam à se instauratam, ad quam sedem transtulit, jam à proprio nomine Constantinopolim, jam à Sede Imperii Romam dixit: ut nulli non obvium est. La-

tini Interpretes sic latinè legerunt: fateor. Sed potuit inde evenire, quod sensum solummodò attendentes traduxerint, & claritatis ergo Urbem Regiam dixerint; ne ignorantibus posset ex primitiva lectione subnasci æquivocum; mihi enim citra dubium est, non vulgaria ex latino, sed latina ex vulgari codice transumpta, exemplata fuisse; cum hic vetustior, & usitatior sit.

90. Utut autem Gotthi ad regium apicem fuerint exaltati; extra controversiam tamen est, quod, extincto eorum florentissimo Imperio, emergenteq; ex ejus ruderibus, vel ruinis: ac ex Ausevæ latebris Regno Asturum erumpente sub Pelagio, primo post devastationem illam Hispano Rege; ejus successores non amplius electivis calculis, sed jure lineali subinintrarunt. Hec successionis formula eruitur ex lege fundamentali illius novi, seu verius consurrecturi Regni præludii, quam antiquissimus juxtaque fidissimus Hispanicarum rerum Scriptor Reverendiss. Lucas Tudensis Episcopus, in Historia Pelagii his ipsis verbis descripsit. *Postremò etiam Gotthi ejus legibus se adstrinxerunt, pro lege perpetua statuentes, ut eorum Regis filius primogenitus, vel major, si deest primus, si pater fuerit Catholicus, cujuscumque vel minimæ sit ætatis, substituatur in Regnum. Si autem deest filius masculus, filia ejus, ordine prædicto, assumatur in Dominam: & illa Magnatorum Gotthorum providentia de nobilioribus Gotthis accipiat virum, de quo regalis posteritas conservetur.*

91. Hæc

91. Hæc lex plura suggerit subsidia causæ nostrę mirum in modum faventia. Primò enim ex ea haurimus, systema successionis Gotthorum immutatum esse ex pacto, & conventione à Proceribus, qui ex clade Gotthorum superfuere, icta cum novo Rege Pelagio, cujus strenuo ducatu pristinam libertatem utcumque libare cæperunt: perpetuoque fęderе illius descendentibus sceptrum fuisse adjudicatum in primęva ipsa renascentis Monarchiæ constitutione. ibi. *pro lege perpetua statuentes, ut eorum Regis filius primogenitus; vel secundus, si deest primus: substituatur in Regnum.* Secundò: in vocatione ad successionem prædictam prius esse attendendam lineam. ibi. *ut eorum Regis filius primogenitus*. Ex quibus manifestè deducitur Regem quęrendum esse in linea Regis demortui, quod si hic improlis obierit, in linea prædecessoris; postea sexum, nam primo vocat filios masculos, subinde fæminas. ibi. *Si autē deest filius masculus, filia ejus, &c.* Tertiò tàm inter masculos, quàm inter fęminas ad invicem, ætatis prærogativam. ibidem. *Filius primogenitus: vel secundus, si deest primus.* & ibi. *Si autem deest filius masculus, filia ejus, ordine prædicto, assumatur in Dominam*. Quartò gradus proximioritatem, siquidem vocat filios, & filias, quin ex sexus conditione transitum fecerit ad remotiores cognatos. Unde ex vi dictæ legis fęminæ descendentes sunt præferendæ masculis transversalibus: & ex eisdem verbis manifestissimè constat Regnum hujusmodi non esse

 agna-

agnaticum, & virile, sed cognaticum, in quo fœminæ, deficientibus masculis ejusdem lineæ, & gradus, suffici debeant. Insuper deducitur Regis descendentes minimè vocari ad successionem jure hæreditario, sed ex legis providentia, aut pacto, quod colligitur tam ex prioribus verbis. *pro lege perpetua statuentes*, quàm ex illis, quibus successio explicatur *substituatur in Regnum: assumatur in Dominam.* quæ propriè significant successionem competentem ex pacto, vel providentia legis. Ulterius: infertur paciscentes se se eò usque obstrinxisse lineæ, & gradui præmemoratis, ut nec etiam pro casu, quo successor minus esset habilis ob ætatis defectum ad Regni habenas moderandas, sibi reservaverint alterum substituendi facultatem. ibi. *Cujuscumque, vel minimæ sit ætatis*. Demum, ut constet quanto jure Hispanis Monarchis hujus instauratæ lineæ respondeat epitheton Regum Catholicorum, in eo solum eventu potestatem invertendi prædictam seriem sibi Proceres paciscentes retinuerunt, quo pater Regis assumēdi à vera, & Catholica Religione defecisset. ibi. *Si pater fuerit Catholicus*. Quæ sanè conditio, si Encomiastem ageremus, copiosam laudum segetem ministraret.

92. Ex quibus manifestissimè resultat vocatio ad successionem Catholici Regis nostri Philippi, exclusioque Augustissimi Cæsaris, & ejus Serenissimæ Prolis. Quando quidem Rex ipse Catholicus reperiatur in linea descendenti Philippi IV. quæ attendenda

est,

est, tanquam linea ultimi Regis prolifici, nam Carolus ejus filius sobolem non reliquit. At Augustissimus Cæsar in linea solum Philippi III. quæ cum adhuc vigeat linea IV. non venit considerand̄a. Rex Catholicus descendit ex filia natu majore ipsius Philippi IV. unde etiam si proles Serenissimæ Infantis Margaritæ, quæ nupsit Augustissimo Leopoldo, superstes esset; excludenda foret, tanquam procedens à filia natu minore, siquidem inter masculos, & fęminas ad invicem præfertur per legem ætatis prærogativa: multoque magis excluditur Augustissimus ipse: qui transversalis est respectu prædicti Regis Philippi; transversales verò ex vi hujus legis non attenduntur, nisi extincta omni prole sive mascula, sive fęminea ultimi Regis, ut ex ea patet. Nec Cæsaris agnatio aliquid juvat; nam omisso, quod agnatio hujusmodi, quando considerationem admitteret, deberet referri ad primum Regem; non ad posteriores, qui non nisi cognatione ipsum pertingunt, ut Cæsari accidit; perspicuum est; quod lex ista fundamentalis non consideravit agnationis jura; siquidem dissertis verbis præfert fęminas existentes in linea descendenti ultimi Regis fęcundi remotioribus agnatis, ut ibi observavimus, verba legis expendentes.

§. II.

§. II.

Hujus primævæ legis existentia invicte propugnatur: & lex partitar. expenditur:

93. AT, ne huic ædificio instabile, aut vacillans fundamentum substruxisse videamur; hujus legis existentiam à nonnullius scrupuloso judicio asserere, & vindicare operæ pretium duximus. Enim verò D. D. Ludovicus de Molin. de ejus fide dubitavit duplici de causa. Primò, quia inter tot, tantosque rerum Hispanicarum Scriptores hujus notabilis certè legis unus meminerit Luc. Tudens. apud alios verò sive antiquiores, sive coævos, sive inferiores Historicos de ea prorsus nihil habemus. Secundò, quia nec totus ipse Tudensis, ut ita loquar, hujus fundamentalis statuti mentionem fecit, cum in pluribus venerandæ antiquitatis prædicti Authoris exemplaribus altum sit de ea lege silentium: quod postquam plura pervolutare contigit, testatus est ante laudatus Molin. de Primogen. lib. 1. cap. 2. num. 13. his verbis. ***Nos tamen apud hunc rerum Hispanicarum Scriptorem in uno, atque altero venerandæ vetustatis exemplaribus, quæ nobis videre contigit, nihil tale unquam scriptum reperimus, nec alicubi invenire potuimus; quod nobis non modicam admirationem præstitit.***

94. Sed hæc talia, aut tanta non sunt, quæ suffi-

ciant

ciant præfatæ legis existentiam, & Tudensis fidem evertere. Quamvis namque verum admittamus, prout verum re ipsa est, alios Hispanos Historiographos ejus nusquam meminisse; non propterea statim deducere licet, falsam, suppostitiamve esse, quia argumentum merè negativum est, & in his materiis nihil probans. Frequens enim historicis est, seipsos supplere, ut quod unus omisit, alius enarret, absque ulla repugnantiæ specie, vel umbra; quia nullus tam exacto calamo res omnes edisseruit, ut ipsi plura addenda nõ supersint, in quod posteriores ævo, ne actum agere crederentur, potissimè incubuerunt. Id ex sacra Historia Evangelica, quæ indubitabilis est veritatis, experimento comprobatur. Plura enim Lucas refert, quæ Matthæus omisit, & plurima Joannes, de quibus apud Lucam, vel Matthæum nec verbum quidem invenies. Quid inde? falsi idcirco arguendi? absit. Sed ex omnibus integra Historia resultat. Omnes veraces sunt; sed non omnia omnes enarrarunt: posteriores priorum silentium supplevere, & in eo maximè adlaborarunt, ut quæ ab illis missa facta sunt; hi ex professo, vel instituto, quia sic temporum conditio exigebat, mundo propalarent. Accedit, quod Hispani Scriptores, qui Tudensi præjerunt potius anacephalæosim, quam historiam rerum contexuerunt; & potius, quæ ad militaria, quibus Principes assidui insistebant, quàm, quæ ad civilia instituta conducebant. Unde non mirandum si legem præterierint.

95. Cæ-

95. Cæterùm hujus Reverendissimi antiquarii fides tanti est apud veteres, vel recentiores rerum nostrarum tractatores, ut citra insignem injuriam de ejus authoritate dubitari nequeat. De quo, ac de Roderico Toletano Alphonsus Garssia Matamorus, vir in dijudicandis doctorum hominum monumentis acerrimi & emuncti criterii, in suo opere de Academ. & doct. Hispan. viris, hoc protulit testimonium, scilicet, *quod non ad voluptatem aurium, sed ad memoriam, & judicium posteritatis scripserint; quàm à delitiis longè, tàm ab ineptiis, & mendacio procul abfuisse.*

96. Nec inficias ire audemus, quod prædicta lex non in omnibus Tudensis codicibus reperiatur. Sed quid refert? hanc injuriam identidem veteres Scriptores à suis interpretibus passi sunt, qui aut oscitantia, aut incuria corruptos, & mutilatos posteris reddiderunt, quem scopulum ex eis transcribentes vitare non poterant. Hanc jacturam subiisse cum primis opera hujus insignis Scriptoris dolebat Joan. Vasæ. in suo Chronic. cap. 4. Qui cum Tudensem dixisset. *Authorem pro illo seculo non pœnitendum*, statim subjungit, *sed vel temporum, vel Scriptorum vitio ita depravatum, ut non facile queat à quovis intelligi.*

97. Quamquàm autem prælaudatus D. Ludovicus Molina asseruerit, de cujus asserto nullus dubito, se in duobus illis, quæ consuluit Tudensis exemplaribus, legem istam offendere non potuisse; tamen certissimum est in pluribus reperiri. Imo ipse Molina in-

ingenuè profitetur in annotationibus, quas operi suo subjunxit, quod, cum hoc super dubio consuluisset Illustriss. & Reverendiss. Dominum D. Didacum de Covarrub. qui Supremo Castellæ Senatui præsidebat; in ejus instructissima Bibliotheca reperit vetustum codicem continentem assertam legem totidem quot à nobis enuntiata est verbis. Proferam illius testimoniũ. *Demum autem cum de hac re cum Illustriss. D. Didaco de Covarrubias Regii Senatus Præside agerem: exẽplar ejusdem Authoris vetustum etiam mihi ostendit, in quo & præfatam legem conditam fuisse legebatur: & lex ipsa hisce verbis apposita erat.* Ecce contra duos codices, in quibus Molina hanc legem non invenit, producimus duos alios contestes, in quibus illa eisdem concepta verbis invenitur, scilicet illum, à quo excepit Palat.rub.& hunc, quem Covarrub. penes se habebat. Unde cum facilius sit transcribentibus præterire, quam adjungere, & hoc fide dignius sit, quia ad omittendum sufficit oscitantia, aut negligentia, ad addendum verò requiritur malitia, quæ non præsumitur: probabilius est legem illam verè repertam fuisse in hujus Scriptoris authographo, quam quod vitio alicujus ejus transumpto irrepserit. Sed & eandem legem eisdemque verbis transcriptam affert dissertissimus vir D. Christophorus de Paz Salmanticensis Jurisconsultus de tenut.tract. 2. cap. 85. num. 62. de quo dubitari nequit quin ex limpido fonte eam ebiberit, & P. Ludovic. Molin. de just. disp. 576. cum aliis.

98. Hactenus conjecturis solum, sed verosimillimis, præfatæ legis existentiam tuiti sumus; sed modo producemus in idem argumentum motivum insuperabile. Id ministrat lex. 2. titul. 15. partit. 2. quæ de Regni successione agit. Etenim in ea asseritur. *Los omes sabios, e entendidos catando el prò comunal de todos, e conociendo, que particion non se podia facer en los Reynos, que destruidos non fuessen, segun Nuestro Señor Iesu Christo dijo, que todo Reyno partido seria estragado; tubieron por derecho, que el Señorio del Reyno no lo oviesse sino el fijo maior despues de la muerte de su padre; y esto usaron siempre en todas las tierras del Mundo, doquier, que el Señorio ovieron por linage, maiormente en España: e por escusar muchos males, que acaecieron, e podrian aun ser fechos, pusieron, que el Señorio del Reyno heredassen siempre aquellos, que viniessen por linea derecha, e por ende establecieron, que si fijo varon no oviesse la fija maior heredasse el Reyno, y aun mandaron, que si el fijo maior muriesse ante que heredasse, si dejasse fijo, ò fija, que oviesse de su muger legitima, que aquel, o aquella lo oviesse, e no otro alguno; pero si todos estos falleciessen; debe heredar el Reyno el mas propinquo pariente que oviesse, siendo ome para ello*. Hac quidem lege, ut ex ejus contextura satis manifestè apparet, successionis formula non nova stabilitur, sed à primis illis Hispani Imperii Fundatoribus constituta narratur, ut constat ex illis iteratis verbis. *Tubieron por derecho: pusieron; establecieron, y*

aun

aun mandaron,quæ antiquam hujus legis promulgationem denotant. Cum ergò in substantia idem ipsum hæc lex afferat, quod illa à Tudensi narrata, nisi quod hæc expressius, & dilucidius; illa pressius, & simplicius loquatur; in utraque enim successio defertur primogenito,& deficientibus masculis, fęminæ existentes in linea descendenti ultimi Regis sufficiuntur, hoc enim sonat illud, ***aquellos que viniessen por linea derecha, e por ende establiecieron,que si fijo varon no oviesse la fija maior heredasse el Reyno***: quasi dixisset: eatenus præferenda est linea descendens ultimi Regis, ut licet masculi in ea non sint, si fęminæ in ea supersint, non sit successio ad masculos collaterales recurvanda, sed fęmina illius lineæ ætate potior ad regium fastigiũ evehenda sit; & quod in ista statuitur, antiquitus, & à Regni natalibus statutum afferatur; procul dubio lex illa, quæ apud Tudensem legitur, verè subsistit, sive verè, sive falso in suis operibus intromissa sit.Quod eò magis certum videtur, quo in ista partitarum lege asseveratur, hunc successionis ordinem apud Hispanos in usu perpetuo fuisse. ibi. Y ***esto usaron siempre en todas las tierras del mundo doquier que el Señorio ovieron por linage, maiormente en España.***

99. Sed est, quod magis admiremur. Nimirum, ipse Molina hæc omnia agnovit,& nihilo secius scrupulum non deposuit: nam in annotatione prælaudata num.3.& 4. concludit. ***Sed si quis ex ultimi illius codicis, vel similium fide, atque præstantissimi viri de-***

Palat. rub. relatione, & Regnorum Castellæ inviolata consuetudine, legis illius fidem adhuc probabilem esse contenderit, ex eo facile deducere poterit, leg. 2. tit. 15. part. 2. ubi de Regni Castellæ successione agitur, ex ea lege Gotthorum antiquissima originem duxisse. Demus enim, quod verba illa Tudensi irrepserint; nullamque ex ejus authoritate sibi legem illam fidem vindicare. Quid interest? hanc legem statutam in Regni fundatione satis innuit lex illa partitarum: satis probat inviolata Regni Castellæ consuetudo: sive ergo scripto, sive consuetudinario jure, vel traditione ad posteros devenerit; ejus existentia infallibilis est. Si ergo hic doctissimus Author agnoscit utrumque quomodo possit de ejus existentia dubitare, nescimus; licet enim eam prout in Tudensi admittere recuset, ut redivivam in leg. illa partit. inficiari non potest.

100. Sive ergo lex illa apud Tudensem verè sit, sive non; ex hac posteriori, & infallibili partitarum lege (sunt namque partitæ veluti juris communis Hispani pandectæ) constat, à primordiis hujus Regni jus fuisse, ex quo successio deberet regulari per omnia concors iis, quæ Tudensis dixit, vel dixisse supponitur; & eo jure, Regnum generi Regio Pelagii fuisse adscriptum, ut ex illo. *T esto usaron siempre en todas las tierras del Mundo, doquier que el Señorio ovieron por linage, maiormente en España.* Quæ verba nedum probât Regnum Castellæ, vel Legionis lineaticum esse, ut ferè omnia orbis Re-

gna;

gna; verum etiam id ex uniformi omnium Hispaniæ Regnorum lege, vel inveterata consuetudine omnibus Hispaniæ Regnis maximè cõvenire. ibi. *maiormẽte en España.* Rursus habemus, in successione præferendam esse lineam descendentẽ ultimi Regis. ibi. *El fixo maior despues de la muerte de su padre*, & ibi. *aquellos, que vinieſsen por linea derecha* cum sequentibus. Tertiò, præferendum esse sexum intra eandem lineam, ibi. *Eporende establecieron, que si fijo varon no oviesse; la fija maior heredasse el Reyno.* Quartò, lineam descendentem tantopere esse attendendam, ut filii vel nepotes ejus, qui succedere debebat, licet pater præmortuus sit successioni, ejus locum subeant, ut masculis, vel fęminis illius superstitibus, non sit regresſus etiam ad filios secundogenitos ultimi Regis, ut ex illis. *Y aun mandaron, que si el fijo maior muriesse anteque heredasse, si dejasse fijo, o fija* cum aliis, quæ sequuntur. Tandem, post extinctionem lineæ ultimi Regis, vel ejus primogeniti modo enuntiato, transitum fieri ad collaterales, eodem ordine servato, ut ex illis verbis apparet. *Pero si todos estos fallecieſsen*, cum sequentibus; ubi observandum superest, in successione collateralium subesse Reipublicæ examini, an habiles sint ad Regni gerenda gubernacula, ut patet ex ultimis illis verbis. *Siendo ome para ello.*

101. Ex his constat, Catholicum Regem nostrũ Philippum privativè ad Augustissimum Cæsarem, & ejus Serenissimam prolem, successorem esse eundem, quem

quem lex fundamentalis Regni, sive ut apud Tudensem reperitur, sive prout in hac partitarum lege describitur, in quo nulla substantialis differentia animadvertitur; ad successionem in nostra specie destinat, vocat, invitat. Quandoquidem ejus Serenissima Avia paterna in eadem erat linea Philippi IV. utpotè ejus filia, cum Catholico Rege Carolo II., qui ut masculus in Regnum successit, post Patris decessum, vi dictæ legis. *El fijo maior despues de la muerte de su padre.* Carolo que sine prole obeunte, cum nullus ex eadem linea superesset præter prolem Serenissimæ ejusdem, Caroli majoris sororis, sicut Regnum ad eam, si supervixisset, deferendum esset, ex vi illius clausulæ. *E porende establecieron, que si fijo varon no oviesse, la fija maior heredasse el Reyno.* Sic licet Carolo præmortua sit, ejus soboli deferatur necesse est, quæ ejus locum subijt ex vi illius clausulæ. *Y aun mandaron, que si el fijo maior muriesse antes que heredasse, &c.* quæ non minus de filio masculo, quàm fęmina verificari, constat tùm ex eo, quod inter masculos, & fęminas ejusdem lineæ, & gradus, solum excipit lex sexus prærogativam, de cætero eos in omnibus æquiparat; tum etiam, quia semper lex quærit lineam rectam descendentem, à primogenito in primogenitum propagatam, quod ut observetur, eandem opus est concedere subitionem descendentibus ex fęminis, quam obtinent descendentes ex masculis, ut patet ex illis verbis, *Pusieron, que el Señorio del Reyno, &c.* tum deniquè, quia ad præsentem suc-

successionem si quis alius concurrere potest, sicut concurrit Augustissimus Cæsar, eadem subintratione in locum feminæ opus habet, cùm & ipse, nullum prætendat jus, nisi ut filius Serenissimæ Infantis Imperatricis Mariæ, filiæ Philippi III. atque adeo eam impugnare nequit. Augustissimus verò Cæsar cum respectu hujus lineæ transversalis sit, nisi ea prorsus extincta, ad successionem aspirare non valet, ex vi ultimæ dictæ legis clausulæ. *Pero si todos estos fallecieſſen*, cum reliquis. Quem casus eventum hactenus Deus noluit, & quod deinceps perpetuò nolit, pia fiducia speramus.

§. III.

Perpetua hujus legis observantia exhibetur: & vera incompatibilitatis prima radix manifestatur.

102. PRæstitutam succedendi formam, nedùm à primis vagientis adhuc Monarchiæ nostræ cunabulis, conventam, & statutam esse, utraque laudata lex asseverat; sed & continua, ac nunquam interrupta praxi religiosè observatam, illa ultimo loco exscripta, & expensa partitarum constitutio testatur. ibi. *Maiormente en España*. Et quia hujusmodi observantia satis luculenter probat primò jactæ legis existentiam, sive scripto, sive viva voce lata fuerit, quod parum refert; idcirco hanc succedendi praxim fusius demóstrare

ag-

aggredimur: ex ea ſperantes, poſse evincere, nullum dubitãdi locum relinquendũ eſse;cùm non minus fundamentalis legis vices ſubeat ea conſuetudo, quæ Regno coæva eſt, & ejus durationem æmulatur; quam conſtitutio ſcripta, & expreſsè rogata: ut nulli non obvium eſt.

103 Igitur hanc ſuccedendi formulam ex primordiis Regni deſcendere, & ceſſante tyrannide, ſub qua leges ſilere compelluntur, perpetuo viguiſſe, hiſtorias percurrendo palàm fit. Nam ex ipſis conſtat, Pelagio primo inſtaurati Regni Principi, & moderatori ſucceſſiſse in Regno Favilam unicum ejus maſculum. Favilæ immaturo, & acerbo fato prærepto, ſucceſſit ſoror Ormeſinda nupta Alphonſo Cantabriæ Ducis filio, ex genère glorioſo Recaredi; ut atteſtatur Alphonſus II. cognomine Caſtus, ejus nepos, in privilegio conceſſo Lucenſi Urbi anno Chriſti 832. & tradunt Rodericus Sanctius, Alphonſus de Carthagen. Joann. Marian. Roderic. Toletan. Franciſc. Taraph. Joann. Vaſæus, quos laudat, & amplectitur D. Didac. de Saabedra in Corona Gotthic. cap. 30. Ecce in primi Regis ſobole priores legum clauſulæ exactè adimpletæ. Ipſi enim ſucceſſit filius, ſexus gaudens prærogativa, & filio defuncto ſoror; nec ſucceſſio a linea deſcendenti primi Principis ob fœmineam conditionem ad tranſverſales deflexit. Quin, & in hac prima fœmina hærede locum ſuum habuit providentia ea, & cautela, quam juxta legem illam, prout à Tudenſi re-

refertur, primi Regni institutores adhibuerunt; quod scilicet, de nobilioribus Gotthis acciperet Virum, de quo Regia posteritas conservaretur, prout ex nuper dictis manifestum est.

104. Ormesindæ successit Froilanus primogenitus: cui violenter sublato, tyrannica intrusione, & violentia suffectus est fratricida Aurelius. Aurelio, Adosinda soror jugata Siloni Regii sanguinis Principi; & licet hæc successio videatur à legibus desciscere, cum superstes esset Alphonsus Castus filius Froilani, & Veremundus filius Bimarani eorumdem Froilani, & Aurelii germani fratris tertiogeniti; Hoc tamen id circo factum crediderim, quia Alphonsus ne in patrui manus incideret, diu latuit: unde Adosinda potius vicarium, quam proprium Regnum gessit; cujus argumentum est, quòd adhuc vivens in Alphonsum sceptrum transtulerit. Successit ergo Adosindæ Alphonsus Castus ejus ex majori fratre nepos: qui per Maurecatum, arrepta tyrannide, pulsus est; qui postquàm aliquandiù injustè, & impiè Regnum gessit; Alphōso post mortem adhuc infensus, vocavit eadem violentia ad successionem Veremundum primum filium Bimarani detonsum, &, agente Aurelio, ad Diaconatum promotum, ne Regnum affectaret. Sed hic conscientiæ stimulis agitatus legitimum Regem Alphonsum restituit, propriæ oblitus prolis, quam ex matrimonio contracto post Diaconatum susceperat: fortè, quia ad ordinem coactus ascendisset, continen-

tiæ lege se existimavit solutum. Sed Alphonsus, cum sine liberis obiisset, Ranemirum Veremundi patruelis ex Regis filium successorem declaravit, tanquam sibi & linea, & gradu conjunctiorem.

105. A Ranemiro ad Veremundum III. eodem ordine à patre in filium primogenitum, vel majorem natu, successio continuata est, & si aliquando inversa series est; non juribus, sed armis adjudicantibus, accidit: at violentia cessante, nec jota unum, vel unum apicem posteri Reges præterierunt à lege. Veremundo III. prælio interfecto, suffecta est Sanctia soror, Ferdinando Magno, seu primo, primo itidem, ex Comite Castellæ Regi, copulata. Ferdinando, & Sanctiæ, tripartita successione, tres filii Sanctius, Alphonsus, & Garssias suffecti fuere, sed Garssia per Sanctium exauthorato, Alphonso fugato, integrum Regnum Sanctius comparavit, non tàm ut possideret, quàm ut Alphonso expulso individuum adveniret. Siquidem paulo post, dum Zamoram obsideret, lancea confossus interiit, & Alphonsus VI. restitutus paterna, maternaque Regna sine diminutione accepit. Alphonso VI. sine masculis excedenti, successit Urraca primogenita, Raimundo Burgundo ex Capetana Familia (non Raimundo Berengario Barcinonens. ut perperàm scripsit Arnis. de Jure Majest. tom. 1. lib: 2. cap. 2. sect. 12. n. 8.) justo fędere nupta. Ab Urraca, & Raymundo processit Alphons. VII. (aliis VIII. qui computandum existimant Alphonsum Aragonium posteriorem Urracæ vi-

virum) cujus virilem lineam usque ad Reges Catholicos propagatam esse, indubium est.

106. Sed priusquàm hinc discedamus, non abs re me facturum autumo, si super legem illam, cujus existentiam contendimus, modò reflectamus. In ea namque ut à Tudensi Episcopo exaratur, ea ingentis momenti clausula continetur, scilicet. Quod si ad fœminam Regii stipitis successio deferenda sit, masculis non extantibus in eadem linea, & gradu; illi Procerum providentia associetur vir ex nobilioribus Gotthis, de quo Regalis posteritas conservetur. Qui ergo fieri potuit, ut Urracæ Soboli non ex Gottho Principe susceptæ; sed ex extero, qualis erat Raimundus, primus ejus maritus, successio in legis contemptum deferretur? Huic profectò difficultati non plenè faciet satis si quis dicat, Gotthos legem illam condentes eò respexisse, nè filia successura imparem Sponsum, suo indulgens genio, deligeret, de quo Regia posteritas non justo splendore conservaretur. Nam si hic fuisset legis finis, electionem Sponsi ad Gotthicum sanguinem non coarctassent; posset enim ex Regnis finitimis Sponsus prorsus æqualis tàm genere, quàm majestate ipsi provideri. Cum ergo nec in Urraca, nec etiam in Joanna Aragonia Ferdinandi Catholici filia hæc cautela fuerit considerata; quid sibi illa providentia velit, vel quid hæc clausula operetur, discussione satis dignum puto. Interim, dum alii solidius, subtiliusque rem edisserant; quid ipse opiner ingenuè proferam, eò

libentius, quò in subjectæ controversiæ scopum collimare animadverto.

107. Igitur priscis illis Gotthis in novæ hujus Monarchiæ constitutionem confluentibus, duo maximè præ oculis obversabantur; scilicet Monarchiæ, cui præludebant, perpetuitas in posteris Pelagii; & Gotthicæ Gentis gloriæ, & nominis sub proprio,& inconfuso Rege, tanquàm sub indigete numine perennitas. Ad primum quod attinet, non multum referret, sive fęmina successura virum ex Gotthis Proceribus acciperet, sive exterum Principem, semper enim ejus posteritas, Pelagii posteritas foret. Sed quod attinet ad secundum, multum refert. Nam si fęmina extero Regi nuberet; Regnum hoc in aliam familiam migraret, habentem diversam nomenclaturam, stemmata repræsentationem; & ut Provincia alteri Regno accederet, proprio nomine, propriis stemmatibus, propria repræsentatione Gotthici Imperii post positis, aut obliteratis; Regia posteritas non foret patritia; Regia transferretur, Regesque ipsi extra Hispaniam versarentur: Quæ omnia jam tunc, cum Regnum infans erat, Gotthi perhorruerunt. Ne igitur per fęminam Regnum confundi, nomen Gotthici Imperii obliterari, Regiam posteritatem exulare, Regiam, & thronum aberruncari ab Hispania contingere unquàm posset; satius duxerunt, eam Gotthico Nobili copulare, quàm externo Principi conjungere. Et quidem optimo consilio. Quia familia, nomen, repræsentatio per fęminam alteri

teri familiæ, nomini, aut repræsentationi supposita, vulgari sensu dicitur extincta. Unde fœmina dicitur à Surd.decis.9.num.6. finis unius familiæ,& principium alterius; consentit Stephan. Grat. discept. forens. cap. 530. num. 19. atque adeò fœmina Rex, alteri Regi nupta foret finis unius Regni, & alterius principium. Nam ut perbellè Euripides.

Mulier eggressa paternis ædibus
Non amplius est parentis, sed conjugis:
Masculum verò genus perpetuò manet in ædibus
Deorum paternorũ, & sepulchrorum limitẽ honorat.

Hæc & plura alia ad præsens institutum opportuna affert Stobæus serm. 75. hacque ratione introducta esse à Republica Primogenia, quorum successione masculi fœminis præferantur, utpotè in quibus domus, familia, nomen, status perfectè conservantur, & prætenduntur, tradit Tiraquell. in tract. de Primogen. quæst. 10. & seq. & consonat his, quæ dicuntur in leg. *pronuntiatio.§.familiæ.ff.de verbor.significat.*leg. *Jurisconsultus.ff.de gradib.*in princ. & §.1. Instit. *de legitim. agnat. success.* scilicet, per fœminas potius familias extingui, quàm conservari.

108. Quamquam enim non negemus, familiam, posteritatem, Regnum per fœminas, & ex eis descendentes utcumque conservari: cum familia, domus, posteritas in lata quadam significatione non solum agnatos, sed & cognatos complectatur. leg. *cum pater.* §. *cum inter.*& §.*libertis.*ff.de legat, 2.leg.final.C.de *verbor.*

*bor. significat.*leg.*cùm ita legatur.* §. *in fideicommiss.* ff. eodem tit. Socin. consil. 43. num. 10. lib. 3. Dec. consil. 481.num.11.Alciat.in leg.*pronuntiatio.*§.*familiæ.* verb. *agnatorum.*ff.*de verbor.significat.*Tamen lex nostra aliquid aliud intendit, scilicet, quod sic familia, Regiaque posteritas conservetur; ut nunquam Regnum, Regiavè Familia, prout Regnum gerit, & repræsentat, alteri familiæ, nomini, aut Regno postponatur; sed solitariè perseveret; vel non ita uniatur, ut confundatur Regnum, Regia posteritas ab Hispania peregrinet, & Regia Sedes cum ea aliò transferatur; Sed in unione semper primas partes hoc Regnum sortiatur; vel unio nullatenus fiat. Ea propter providentiæ Procerum reliquit, filiam successuram nobilissimo Gottho conjungere: Esto enim in hoc conjugio fęmina naturæ, & sexus conditione inferior esset; dominio tamen, dignitate, nomine, insignibus semper præcelleret, Regnumque ipsum impermixtum, & inconfusum, ac perse subsistens perseveraret; nomen & gloriam propriam præseferret, nec alteri adjectum illius ritus, mores, legesvè susciperet: nec etiam Regia posteritas, Regia, aut thronum ab Hispaniis evellerentur: ut de se patet. In illis namque conjugiis, in quibus fęmina Princeps inferioris sortis virum ducit, etsi quoad officium naturæ maritus vir sit; quoad politica munia,& publicam repræsentationem uxor virum gerit, ideo virilibus, & non fęmineis titulis latinè insigniri solet. Et fortè id volunt verba illa: *Ex qua*
Re-

Regalis posteritas conservetur; quasi vir ille duntaxat ad propagandam sobolem assumatur. Quod de Principe, aliàs Rege verificari vix posset; qui quoad omnia uxorem sibi subjici contenderet, eam à patrio solo abducere vellet, & Regiam cum propria confundere; posteritasque Regia perpetuò Hispania exularet. Hæc est Hispanæ Monarchiæ cum Francica vera incompatibilitatis radix, & origo. Cum enim Francica Corona ob singulares, quibus, inter cæteras Europæ, gaudet prærogativis, nunquam pateretur alteri postponi, subjici, accedere, nec proprium Regem Regiam Hispanias transferre, ibique commorari, & Hispani ex fundamentali lege id ipsum contendant, resultat inter eas vera incompatibilitas. Cum aliis verò Regnis, quæ Hispaniæ postponi non detrectarent, nec Reges domicilium in Hispaniis figere renuerent; hæc incompatibilitas non intercederet.

109. Nam quod Becman. in notit. orb. terr. cap. 6. §. 2. suggerit pro hujus incompatibilitatis radice; quod, scilicet, proveniat ex eo quod Francia Regna sibi unita confundit, & absorbet, & quod Hispania alteri accedere nequit, licet quoad hanc secundam partem verum sit; quoad primam nullius est roboris, nec subsistentiæ; ait enim. ***Cum in Hispania, aliisque Regnis, etiamsi jurisdictioni Regis novi tractus accedant, priores termini tamen iidem maneant, & tractus illi peculiares status efforment, prout in utraque Sicilia, Ducatu Mediolanensi, Belgio, &c. elucet,***

quæ

quæ Regis Hispaniæ imperium quidem suscipiunt, sed non tanquam Hispaniæ Regis, verum peculiaris status sui Principis. Sed à Gallis quidquid acquiritur, id ipsi Coronæ Gallicæ accedit, & quantumcumque sit, jurisdictionem Regis, tanquam Regis Galliæ agnoscere cogitur. Quod ipsum in causa esse observant Politici, cur Regnum Galliæ, & Hispaniæ veluti incompatibilia sunt, quia Hispania alii coronæ inseri nequeat, Gallia verò quidquid acquirit sibi annectat. Sed decipi hunc Authorem, dum incompatibilitatem huic principio reducit pluribus ostendi potest. Primò, quia cum Joanna Navarræ Regina, uxor Philipi Pulchri, dotale viro suo Regnum illud attulisset, & cum Regno Franciæ unionem conservasset usque ad Carolum Pulchrum; post ejus obitum Joanna Philippi Hutini filia, Joannæ Navarrææ neptis, ad quam jure devolutum erat, & vir ejus Philippus Comes Ebroicensis, tamdium institerunt, quoad usque avitum Regnũ obtinuerunt. Sanè, si Regna Franciæ conjugii jure adhærescentia unionem illam confusivam, quam cõmentus est Becmanus, paterentur, & partes fierent Regni Franciæ; Galli Navarram semel insertam, confusam, & permixtam, extrahi à Corona Franciæ, cui ex Regni legibus hoc modo immixta fuerat, haud permitterent; nec locus esset successioni Navarræ distinctæ ab universa Franciæ successione; legeque salica, quæ feminas excludit, regulari succesfio deberet. Secundò: quoniam moderni Reges Christianissimi ab

Hen-

Henrico IV. sub quo iterum Navarra Franciæ est copulata, saltem quoad titulum,& jura prætensa, utriusque Regni distincta nomina, & stemmata conservarunt, atque conservant, si quidem in diplomatibus legimus. *Ludovicus D.G. Rex Franciæ, atque Navarræ*, & cum liliis, Navarræ insignes catenæ conspiciuntur: non ergo prorsus per leges illius Regni, accedentia confunduntur, sed inconfusa perseverant. Tertiò, quia toto eo tempore, quo Navarra Franciæ Regibus subjacuit, propriis, & patritiis legibus recta est, perinde ac modo, dum Hispano paret imperio. Ubi est ergo illa confusio, illa insertio, illa propriarum legum extinctio, aut obliteratio? certè non video.

110. Hæc ab exemplo; sed à ratione idem ipsum evidenter demonstratur. Nam vel Regnum Franciæ id attentaret de facto, vel prætenderet de jure. Si de facto id potuisset contingere in Hispania, in Anglia, & in quovis alio Regno perinde ac in Francia: posset enim Angliæ Parlamentum contendere Scotiam, & Hiberniam, nec in Regiis titulis fore nominandas, nec eorum stemmata cum stemmate Angliæ conjungenda, vel parlamenta nationalia conservanda; pariter Hispani posent attentare circa utriusque Siciliæ Regna, Status Belgicos, Ducatum Mediolanensem. Sed foret attentatum forte seditione, perduellione, aut bello purgandum. Si de jure. Cum nullum Regnum alienis legibus teneatur, licet sub eodem Rege sit, non magis posset hæc Franciæ lex obesse Navarræ,

quam Franciæ obesset lex Navarræ lata, ut Regna ipsi accedentia ex superveniente jure cognatica fierent, esto ex propria lege agnatica forent. Quamvis enim Franciæ modo accedat, quoad titulum, & jura prætensa, Navarra, ob Regni nobilitatem, magnitudinem, & antiquitatem; ex ordine tamen succedendi potius Francia Navarræ accessisset, quia ante quam Henricus Franciæ successionem adiisset, avito jure Rex Navarræ dicebatur. Commentitia est igitur hæc differentia, cui prælaudatus Author innixus est.

111. Nec contrarium probant exempla, quæ peti possunt ex statibus, quos sive in Francia, sive in Belgio sive in Austrasia Reges Christianissimi sibi asseruerunt; quia licet in his subsistat illa Becmani confusio: hoc inde evenit, quod Reges Franciæ hos status contemplantur, ut antiqua feuda suæ Coronæ, & ad veteres Franciæ Ethnarchias spectantes, qui propterea leges Regni, à quo exierunt, admittere jure coguntur; & cum eo confunduntur, non ut status denuò advenientes, sed ut antiquæ coronæ portiones, cui ita accrescunt, sicut Domino, expirante feudo, accrescit dominium utile consolidatum cum proprietatis dominio. Tenendum ergo est, veram incompatibilitatis radicem eam esse solummodò, quam nos insinuavimus, non illam, quam Becmanus addidit etiam, & commentus est.

112. Ad quæsitum ergo, cujus occasione tandiu digressi sumus, regredientes, dicimus, quòd cum mens,

& spi-

& ſpiritus illius primordialis legis fuerit, ne per fęminam Hiſpano-Gotthicum Imperium alteri accedens, Regia translata, interiret, ſed ſemper ſub propria principalius nomenclatura, quæ gloriam gentis præſeferret, perpetuò conſervaretur, ad quod medium quidem opportunum, ſed non unicum, eſſet, fęminam regnaturam cum viro ex ſemine Gottho matrimonio jungere: potuit, & re ipſa adimpleta eſt legis intentio in matrimonio Urracæ cum Raymundo Burgundo contracto. Nam cum ille lares proprios deſeruiſſet, eſſetque ſecundogenitus domus Burgundiæ, nullus ſuberat ſcrupulus, quod proles ex eo matrimonio ſuſcepta nomen, ſtemmata, & Regnum Hiſpano-Gotthicum virilibus inſignibus non præferret, vel thronum in Hiſpania non conſervaret, prout Alphonſus Urracæ filius executus eſt; tum quia cum pater eſſet ſecundogenitus ſuæ domus, nihil ex ejus jure Alphonſo in Burgundia obtigit: tum quia adhuc ſi primogenitus fuiſſet, verendum non erat, quod Burgundiæ Comitatui non præferrentur Caſtellæ, & Legionis Regna, Regio namque titulo, & majeſtati, cætera cedant neceſſe eſt. Unde lex illa, ſi cauſa finalis penſetur, exactiſſimè adimpleta eſt.

§. IV.

Materia praecedentis §. continuatur, & S. Ludovici IX. jura ad Castellae coronam disceptantur.

113. ALphonsus Septimus, qui ab aliis dicitur Octavus Regna divisit inter duos filios Sanctium, & Ferdinandum: Sanctio primogenito adjudicans Castellam quà quà patet: Ferdinando Legionense Regnum cum primitivis Provinciis inseparabiliter ipsi annexis: & ab utroque filio linea propagata fuit. Sanctii linea eodem ordine in Castella successit usque ad Berengariam filiam Alphonsi VIII. aliis IX. quae Henrico fratri suffecta est. Ferdinandi linea virilis ad Reges Catholicos usque fuit diffusa: Caeterum non ab altera Sanctii separata, sed cum ea confusa; nam in Ferdinando III. seu Sancto, Alphonsi IX. vel X. juxta diversas supputationes, filio ex Berengaria suscepto utraque familia, insuper & Regna, ultimo, & nunquam disjungenda copulata sunt.

114. Hic tamen occurrit inter Historicos, sive Hispanos, sive Gallos non contemnenda altercatio circa jus succedendi in Regno Castellae: quam eò lubentius proponam, quò his, quae §. praecedenti de primaria incompatibilitatis radice statuta sunt, lucem non exiguam afferre potens est. Nimirum: post immaturum

obi-

obitum Henrici I. Alphonsi Castellani nuper laudati unici masculi, Castellæ Magnates Berengariam paulo ante memoratam, Ferdinandi Sancti genitricem, ad thronum extulerunt. Hæc post adeptam Regni possessionem, comitiis coactis, in filium Ferdinandum, quem, licet juvenem, ad magna natum ab explorata diu indole cognoscebat, sceptrum transtulit. Et quidem prudentissimè, & fęlicissimè; ut probavit eventus. An vero Henrico suffici Berengaria deberet, an Blancha Ludovico VIII. Regi Christianissimo nupta? duæ sunt opiniones, quarum utraque tàm ex Hispanis, quàm ex Francis Scriptoribus patronos habet. Alii quidem putāt Berengariam natu maximam inter filias Alphonsi, atque adeò exaltandam. Alii e regione hanc ætatis prærogativam, & ex consequenti jus succedendi, Blanchæ asseruere.

115. Pro Berengaria complures ex Historicis nostris sunt; & quidem ex coævis Scriptoribus Rodericus Toletan. & Lucas Tudens. ipsi favent, quos frequentius sequuntur moderni; sed jura ejus ferè peroravit excultissimus Regius Chronographus D. Alphons. Nuñez de Castro in Chronic. Sāctii III. Alphon. VIII. & Henrici I. qui productis antiquissimis, & fide dignissimis documentis videtur demonstrare, eam jure primogenituræ ad solium paternum assumptam fuisse: quæ apud ipsum consuli possunt. Hoc fortissimum fundamentum, triplici conjectura juvatur. Prima, quod ipsi Authores, qui partes Blanchæ tuentur, non infi-

inficiantur Alphonsum ejus genitorem anni 1188. Carrione comitia Regnorum celebrasse, in eisque equitem creasse Conradum Svevum, Federici primi seu Æneobarbi filium, ipsique desponsasse filiam Berengariam. Sanè non est consuetudinis apud nos (ut Labamus respondebat Jacobo) filias minores ante majores nuptui tradere; non ergo Blancha, sed Berengaria maxima natu erat. Accedit, quod in articulis matrimonialibus, apud Ant. de Yepes Benedictin. script. 27. in append. Alphonsus paciscitur successionē Berengariæ, casu, quo sine prole virili decedat, erat ergo primogenita. Secundo Berengaria nupsit anno prædicto Conrado, quorum conjugium ob consanguinitatem utriusque dissolutum est: & postea anno 1201. iterum Alphonso Legionensi adjugata est; Blancha verò non nisi anno sequenti, ut Historici Franci consentiunt, Ludovico nupsit. Quod filia secundogenita ante primogenitam semel collocetur, facile est, ex aliquo interveniente respectu; sed quod semel & iterum ex genitoris providentia ante eam ad nuptias properet, valde difficile creditu est, quasi ipsa integram curam paternam, præteritis reliquis, exhauriret. Tertia; quia cum Alphonsus tempore, quo Berengariam Alphonso Legionensi dedit uxorem, masculis careret; verosimilius est eam viro sui proprii generis filiam dedisse, quæ in Regno succederet, ne successio migraret ad extraneos, quam secundogenitam. Quarta. Nam si Berengaria primò nupsit Conrado ann. 1188. ad

mi-

minus duodecim, vel tredecim annos expleverat; atque adeo Blancha, si superior erat, tredecim, vel quatuordecim tunc habuisse, dicendum necessario; si his adjungas quatuordecim alios, qui elapsi sunt, priusquam Ludovicum desponsaret, ad thalamum accessit viginti octo annis præter propter nata, & cum Ludovicus quindennis uxorem acceperit, ut ex Historicis ipsis Francis evidens fit; resultat nimius excessus ætatis uxoris comparatæ ad viri ætatem, qui licet e converso soleat propagationi adulari, quando tamen excessus afficit Sponsam, generationi, quam Reges præcunctis rationalibus ambiunt, parum commodus, imo incommodus reputatur. Quinta & non minus premens; quod Blancha multo tempore ab inito conjugio nullos suscepit liberos; nam primogenitum S. Ludovicum enixa est anno 1215. tredecim scilicet à nuptiis annis, unde juxta hanc computationem cæpit filios edere in ætate constituta annorum unum de quadraginta; & si unum edidisset, & talem; posset serio affirmari, ex gratia illum concepisse, sæpè enim Sancti Viri, qualis fuit S. Ludovicus, precibus impetrantur. At post ipsum peperit quatuor alios filios, Robertum Comitem Atrebatensem; Carolum Ducem Andegavens. qui cōtra Manfredum investitus est de utraque Sicilia; Alphonsum Pictaviensem, & Arvernensem Comitem, & quintum, quem pater clero destinavit, ut ait ex Franciæ Historicis, Natal. Alex. Sæcul. 13. in Ludovic. VIII. quibus adjungēda est Isabella Clarissa Sanctimonialis,
 vel

vel Sancta potius Monialis,quę,nedùm fama Sãctitatis celebris obiit in Monasterio Clarissarum apud Cãpum longum prope Parisios, sed etiam Apostolico Indulto ab universa Seraphica Religione officio celebratur quot annis Kalendis Septembris. Profectò tot filios, quos, fama est, proprio ubere lactasse, in tam devexa ad senectutem ætate enixam esse sine miraculo, duriuscule credi potest. Denique obitus Blanchæ contigit anno 1252. & ætatis suæ 63. magno scilicet Climaterico,ut vel ipsi Franci tenent Scriptores Spondan. ad ann. 1253. Till. ad ann. 1252. & alii ideoque ejus ortus retrotrahi nequit nisi ad ann. 1189. post quam Berengaria Conrado fuerat desponsata. Hæc omnia physicè contingere potuisse, non dubito; sed nemo cordatus asseret, quod non aliquam præseferant moralis impossibilitatis speciem; ad quam emolliendam, congruentius ejus natalitium serius assignari debet.

116. At e regione pro Blanchæ primogenitura sunt ex nostris Marian. lib.12.cap.7. Zurita loc. inferius allegando,& Garibay in Henrico I. cum pluribus ex Francis Scriptoribus; licet Marian. incostans sibi, contrarium postea tenuerit, ut ostendit prælaudatus Nuñez de Castro. Quorum hæc sunt potissima fundamenta. Primum, quod Comites laræ, sub quorum tutela Henricus decessit, diu inaugurationi Berengariæ restiterunt; arces, & castella sibi commendata, Blanchæ nomen substinuerunt, nec nisi post grave bellum concesserunt Berengariæ; aut Ferdinandi ve-

xilla acceptarunt: & quod magis est, quoadusque, Blancha à Larensibus requisita, eos à fidelitatis juramento relevavit; cum ob domesticas seditiones, quas Franciæ Ludovici filii minorennitas suscitaverat, non posset patrio Regno accurrere, quin filii Regnum manifestissimo periculo exponeret in eo rerum dubio discrimine: ut fusè persequitur Zurita lib. 2. cap. 75. Secundum, quod ann. 1269. in contractu sponsalitio Ferdinandi Infantis de la Zerda cum Blancha S. Ludovici filia, conventum est; Regem S. Ludovicum Sponsæ genitorem cessurum juri ad Regna Castellæ, & Legionis sibi competenti, ea lege, ut liberi ex hoc matrimonio suscepti, etiam defuncto patre Ferdinando, Alphonsi Sapientis primogenito, ante aditam successionem; Alphonso Avo succedere in throno deberent; ut testatur Rodericus Sanctius Episcopus Palentinus author coævus: igitur agnoscebat Alphonsus jura S. Ludovici, quandoquidem eorum cessioni inhiavit, & in pacta nuptialia deduxit. Tertium; quod Alphonsus ipse in ultimis tabulis vim horum capitulorum annoscens, successores declaravit filios Ferdinandi primogeniti, morte prærepti; & in eorum defectum, non Sanctium secundogenitum, qui Regnum occupaverat, nec cæteros filios, quos reliquit ex conjuge Violanta susceptos; non fratres Philippum, Henricum, Emmanuelem, qui adhuc superstites erant; sed Regem Christianissimum Franciæ, tanquam, qui cessante cessionis causa, & reviviscente jure; successor

erat.ut videri est apud Garziam de expens. & meliorat.cap.16.n.26.in fine.

117. Non negaverim huic opinioni suam probabilitatem; in re enim tam annosa non contemptibilia hæc argumenta sunt; licet, si verum fatear, præcipua probabilitas potius ipsi ab Authoribus, qui eam defendunt, quàm ab intrinseca ratione accedat; quæ suas patitur exceptiones. Etenim: ad Comites Laræ quod attinet, scio ipsos enixè successioni Berengariæ restitisse, ex odio tamen, & timore Berengariæ, quam à marito disiunctam authoritate Apostolica ob consanguinitatis impedimentum, & in Castella habitantem sub fratris patrocinio, acerrimè insectati sunt, quia violentiam, rapinas, & tyrannidem, quæ tutorum nomine exercebant, frænare sæpe sæpius tentavit; nec dubito, quin hujus controversiæ, & prætensæ majoritatis Blanchæ authores fuerint, ne ad Berengariam successio deveniret, quæ à suis factiosis propugnata, hanc decursu temporis potuerit probabilitatem nancisci. Hoc vel odium, vel timor adeò eos exagitavit, ut cum jam ab impulsu Ferdinandi arces defendere non possent; potius elegerint ad Africam transmigrare, ubi decesserunt, quàm cum eo pacisci, aut transigere quod si justitiæ duntaxat amore decertassent; sub Rege piissimo, quàlis Ferdinandus erat, tam probroso exilio se ipsos mulctare, opus haud fuisset.

118. Non majoris roboris est, quod subjungit Zurita, videlicet, Blancham Reginam relictam Ludovici

vici VIII. tutricem filii S. Ludovici, Franciæque gubernatricem, juri suo vindicando insistere nō potuisse, ob internos Regni motus ex filii minorennitate suscitatos. Imò ex hoc capite magis magisque Berengariæ jura roborantur. Nam obitus Henrici I. ut ex omnibus Historiis nostris deducitur, contigit præter propter anno 1221. Blancha vero viro suo viduata est anno 1227. ut ex Francis Chronicis, constat, quando jam Ferdinandus, pulsis Larensibus, Castellam in pace possidebat, sex nempè annis ab Henrici cognati obitu. Quis porrò credat Ludovicum VIII. jura uxoris præteriisse, nec aliquid in Ferdinandum intentasse sex illis annis, quos supervixit? & tamen nullum belli in ipsum suscepti vestigium est. Nimirum, Rex piissimus noluit bellum, quod Albigensibus intulerat deserere; ut vanam, & commentitiam successionem vindicaret, quam ætatis prærogativa in Larensium cerebro concepta, solùm fovebat.

119. Quod affertur de pactis nuptialibus Ferdinandi Infantis de la Zerda, & ex Roderico Palentino urget Spondanus ad annum Christi 1269. num. 5. nullum aliud fundamentum habet, nisi quod hic Athór vel dormitans, vel oscitans hoc suæ historiæ infuerit. Verum quidem est, his Infantibus Zerdensibus successionem debitam fuisse, etiam genitore præmortuo; sed non ex pacto, & conventione; verùm ex lege Regni fundamentali, cujus in illa leg. 2. part. 2. tit. 15. (quarum legum collectionem aggressum Ferdinandum

Sanctum, & publici juris fecisse Alphonsum filium, constans est omnium opinio) mentio fit. ibi. *Y aun mandaron, que si el fijo maior muriesse ante que heredasse, si dejasse fijo, o fija, que oviesse de su muger legitima, que aquel, o aquella lo oviesse, e no otro alguno.* Si ergo id lege primitiva cautum erat, & in partitis denuò instauratum; ut quid idem ipsum in nuptiales cõventiones deduceretur? Palàm est, Rodericum, Zerdensibus benè affectum fundamentum innuisse, cui maximè horum Principum jura inhærebant, & fortè ignorans apud partitas inveniri, in fędera nuptialia rejecit. Sed nec verum est Rodericum Authorem esse coęvum; imo duobus ferè sęculis post elapsis Historiam concinnavit, sub Henrico IV. ut videre est in Biblioth. Hisp. Veter. lib. x. cap. xi.

120. Testamentum Alphonsi Sapientis profectò desipuit; Rex enim iste ex animi amaritudine, cùm vidisset universos ferè Proceres, etiam germanos, & filios, eo deserto, in Sanctium inclinasse, unico verbo eos à successione pepulit, seu exhæredes fecit; cum ipse in culpa fuisset hujus Sanctii sequelæ, qui comitiis coactis eum, Zerdensibus nepotibus ex primogenito prorsus præteritis, successorem declaravit, & in ejus successionem omnes Proceres Sacramento adegit. Et licet postea facti pęnitens hanc declarationem retractaverit; sed eo tempore, quo rerum summa pęnes Sanctium erat: unde tabulæ istæ tanquam ex alio motivo compositæ, & potius ex pęna, quam ex jure, parum

rum causæ favent. Quinimo ex ipsis, si benè pensentur, elicitur conjectura ad oppositum non spernenda. Alphonsus namque his verbis mentem suam aperuit. *E ordenamos aun mas, que si hijos de D. Fernando muriessen, que debiessen heredar, que tome este nuestro Señorio el Rey de Francia, porque viene derechamente de linea derecha, onde nos venimos del Emperador de España, y es bisnieto del Rey D. Alonso de Castilla bien como nos, e es nieto de su hija*. Rationem redditurus Alponsus, cur in Zerdensium defectu, Rex Fràciæ Philippus succedere deberet; non recurrit ad lineæ primogenituram; quæ efficacissima esset; Sed respectavit solummodo, quod (sicut ipse) linea recta descendebat ab Alphonso VIII: Castellæ Rege, utpotè nepos Blanchæ filiæ Alphonsi; ut ipse nepos Berengariæ; cum enim filios, & fratres repulisset; credidit in eorum ultionem alium ejusdem lineæ substituere sibi licere; sanè si Philippum linea potiorem existimaret, id non omitteret, quod fini suo vehementer côducebat. Sed ut appareat luculentius Alphonsum dolore perculsum, non jure inductum, id scripsisse, mentemque ipsius fuisse filios, & fratres ut perduellès a successione arcere; observare oportet, Regem Christianissimum nullum jus affectare potuisse ad Regni Legionensis successionem, sed solum Castellæ; in Legione enim Ferdinandus successit tanquam primogenitus Alphonsi IX. à quo Rex Franciæ originem non ducebat; & tamen Alphónsus Sapiens ut utriusque

Re-

Regni hæredem eum faceret, Zerdensibus desideratis, meminit illius descendentiæ ab Alphonso Hispaniæ Imperatore, cujus filiam duxerat Rex Christianissimus Philippus I. missis filiis, fratribus, & patruelibus ex Infante Alphonso de Molina, Sancti Regis fratre utrinque conjuncto; cujus linea, cum nihil in eum deliquisset, ex nullo capite ab illus Regni successione excludi debebat.

121. Ex dictis apparet, utramque sententiam probabilem esse; licet mihi ea quæ Berengariæ favet, magis probetur, tàm ob monumenta, quæ produxit Nuñez de Castro, quæ in his antiquis concertationibus maximi momenti sunt, præsertim dum e regione alia non producuntur, quæ eorum fidem elidant; quàm ob conjecturas expensas. Cæterùm; quando verius esset, Blancham primogenituram sortitam fuisse; nihil successioni Berengariæ hæc prærogativa officeret; nec injustè Ferdinandus Sanctus Regnum obtinuisset; ut malè argumentatur Philippus Brietius. ad annum Christi 1252. sub quo hæc de Ferdinando scripsit. *Obiit & hoc anno Ferdinandus Rex Castellæ anno ætatis 52. cum pararet expeditionem in Mauros, Sanctus à suis habitus, non item ab aliis, cum Regi Fræcorum viro sanctissimo debitum Regnum retinuisset.* At Ferdinandi cultum ab omni superstitione liberavit, Romana Ecclesia, quæ illum probavit, & ampliavit, atque extra aleam ejus Sanctitatis opinionem posuit, non obstante Regni retentione, quam opponit

ipsi

ipsi Brietius. Fundamentum hujus asserti est lex ipsa fundamentalis, quæ filiam successuram vult collocatam, aut conjunctam viro, qui nomen, stemmata, & familiam Gotthicæ Regiæ stirpis, vel solitariè, vel primo repræsentet; eòque fine, ei potius Gotthum Maritum, quam alterius, Regiæ quamvis stirpis, amavit; verita ne extraneo Principi conjuncta Gotthico. Hispanam Majestatem, alteri Regno supponeret, vel cum eo permixtam confunderet. Cum ergo tempore, quo Henricus I. obiit, Berengaria ex Rege ejusdem stipitis prolem nacta fuisset in Hispania consistentem, quæ nomen, stemmata, & Regiam familiam solitariè, nedùm principalius, deferret; ipsi tanquam in qua omnibus numeris lex fundamẽtalis expleta erat, etiam si prærogativa ætatis non gauderet, successio deferenda erat; non Blanchæ; quamvis eam primogenitam dicamus, quia alteri Regi nupta, qui gloriam, stemmata, & familiam suam Gotthicæ postponere noluisset, nec thronum in Hispania conservare. Id, licet non observaverit Mariana observarunt Regni Comitia, ipso referente. *Maturatis Comitiis, Blancha prætermissa, Populi, & Procerum consensu, Berengariæ Regnum delatum est: externum imperium exhorrebant, & novorum motuum materiam, si Gallia Hispaniæ commissa esset, subtrahendam judicabant.* Benè quidem; sed Populus, & Proceres id egerunt, quod vetustus mos, seu lex primæva Regni statuerat, id ipsum præsentiens, & prudentissima cautela præoccupans, ne unquam emergeret.

§. V.

§. V.

Continuatur demonstratio ejusdem observantiæ, & successio Sanctii strenui, seu audacis controvertitur.

122. **F**Erdinando III.seu Sancto successit Alphõsus Sapiens filius natu maximus. Sed in successione Alphonsi Sapientis offendimus aliam non prætermittendam controversiam. Nam cum ejus primogenitus Ferdinandus de la Zerda, ut insinuavimus, genitori fuerit præmortuus, duobus relictis masculis, quos ex Blancha uxore, S. Ludovici filia, susceperat; videbatur Avo successurus Alphonsus primogenitus Ferdinandi, ex vi illius legis fundamentalis in illa partitarum lege memorata, per illa præsertim verba. *T aun mandaron, que si el fijo maior muriesse ante que heredasse, se dejase fijo, o fija, que oviese de su muger legitima, que aquel, o aquella lo oviesse, e non otro alguno.* Sed e perverso accidit; nam Sanctius præmortui Ferdinandi frater secundogenitus, præteritis nepotibus, declaratus est successor in Comitiis Regnorum, frustra instante Blancha relicta Ferdinandi, & occlamante Violanta Regina, quæ nepotum jura eo usque propugnavit, ut maritum, quem in Sanctium propensum vidit, deseruerit, quoadusque resipiscens suæ, sed sine fructu, adhæsit piæ sententiæ. At hæc successio jure,

jure, an injuria Sanctio delata sit? adhuc disceptatur:

123. Et quidem, inspecta lege modo transcripta, injusta statim apparet: eòque magis, quo ipsemet Alphonsus Sapiens, qui in illis Comitiis Palantiæ habitis, pro adjudicanda Sanctio filio, adversus nepotes ex primogenito, successione institit, illam partitarum compilationem cæptam tempore patris sui S. Ferdinandi, complevit, & evulgavit, tanquam legem primitivam, & fundamentalem; unde nulla tergiversatione vel contrariæ consuetudinis, vel ignorantiæ ab hac labe eximi potest, vel injustitiæ notam in nepotes ex primogenito, cujus etiam ipsi dulcis non poterat non esse memoria; declinare.

124. Nihilo secius plurimi volunt, Sanctium jure fuisse suffectum, ex eo motivo præsertim; quod licet successio in partitarum lege sic determinata in hac specie sit, ut patruus cedere debeat nepoti ex majori filio, vel primogenito: attamen hæc partitarum collectio nullam tunc temporis præseferebat legislativam authoritatem, cum in ea contenta nunquam fuissent solemni promulgatione, ut opus erat, intimata, nec hanc authoritatem obtinuere usque ad tempora Catholicorum Regum Ferdinandi, & Elisabethæ, qui prædictam compilationem, ut juris Hispani pandectas, recipi voluerunt, necessaria authoritate eam munientes, & honestantes; ut ait Burg.de Pac.ad leg. 1.Taur.nu. 367. 572.& 663. fuit enim hæc collectio facta, ut juris, sive Cæsarei, sive Canonici, foret dilucida quædam doctri-

V nalis

nalis interpretatio, in his maximè, quæ propter Jurisconsultorum dissidia variasque sententias, declaratione indigebant. Idcircò has leges non aliàs, quàm ex earundem vel Civilium, vel Ecclesiasticarum legum sensu explicandas esse, docuerunt plurimi primi nominis Hispani Interpretes; Covarrub. lib. 1. variar. cap. 14. num. 5. Roderic. Suar. ad lib. 3. *fori judicum*. lég. 1. num. 43. circa medium tit. *De las ganancias*, & alii. Quæ si vera sunt, suadere possunt probabili jure Sanctium ad successionem vocatum: Siquidem tota vis contrarii juris in ea lege nititur.

125. Nam, ea lege sublata, & juri communi inhærendo, verior pluribus apparet illa sententia, quæ præfert patruum nepoti, quàm contraria, ex eo fundamento, quod doctè, ut solet prosequitur P. Ludovic. Molina de just. & jur. tom. 3. disp. 632. Videlicet: de jure civili, & antequàm fuisset repræsentatio introducta, proximiores gradu succedebant defuncto. Unde in linea descendenti filius excludebat nepotes ab Avi hæreditate, & in linea collaterali excludebat consobrinos à successione patrui. Posteà verò ex quadam humanitate, & æquitate introductum fuit, ut nepotes ex filiis præmortuis, cum patruis concurrerent ad Avi hæreditatem, sed non per capita, sed per stipites, quasi subeundo locum patris defuncti, ejusque personam repræsentando ad accipiendam eam dútaxat portionem, quæ patri superstiti obtigisset, subdividendam per capita inter se ipsos. Ex quo deducitur quod juris intentio

tio non fuit nepotes patruis præferre; sed eos ab Avi hæreditate non prorsus excludere;ut consideranti jura, quæ repræsentationem invexerunt, est perspicuum; & inter alios affirmant Gamm. decis. 174. Bald. & alii, quos laudat Emmanuel Acost. quæst.de patruo, & nepote num. 48. Qui consequenter asserunt, quod casu, quo jure hæreditario deferenda sit tanquam individua hæreditas, quæ ad unum tantum perventura est; præferre debet necessario patruus nepoti. Cum ergo repræsentatio de jure communi solum habeat locum in hæreditariis. leg.*Papinian*.§.*quoniam*. ff.*de inofficios. testam*.§. *cum filius. instit.de hæredit. quæ ab intest. defert*. & in hæreditatibus, quando dividuæ sunt, ex jam dictis; elicitur, quod in his, quæ jure sanguinis deferuntur, & individua sunt, quale est Regnum Castellæ, repræsentatio intrare nequeat. Non ergo improbabiliter Sanctius nepotes à successione contendit excludere, siquidem in hac specie nullus erat repræsentationi locus.

126. Rursus. Quoniam repræsentatio est privilegium, ex ***Authentic.de hæredib.abintest.***§.***hujusmodi verò privilegium***, sed privilegium non est extendendum ultra personas, & casus, quibus fuerit concessum: unde in hæreditariis non extenditur ultra eos, qui sunt in linea descendenti, vel si transversales sint, ultra fratrum filios, quia id privilegio cautum est; sic nisi obstet jus speciale, non debet extendi ad ea, quæ hæreditaria non sunt, vel dividua; præsertim cum in his,

quæ deferuntur ut individua, successio per stirpes, quam repræsentatio induxit, non sit practicabilis in Regno: quippe unus succedat necesse est, & is proximior, qualis est patruus respectu filiorum fratris; alioquin, juxta Servatoris nostri sententiam, statim verget in desolationem.

127. Imo videtur Sanctii successio ex post facto canonizata per sententiam, quam protulit Clemens V. in causa successionis Regni Siciliæ, vertente inter Robertum secundogenitum Caroli Claudi, & Carolum Umbertum Hungariæ Regem, filium Caroli Martelli, ejusdem Claudi primogeniti. In hac enim simillima, vel potius eâdem controversia, Clemens sententiam tulit pro Roberto, seu pro patruo, contra nepotem ex fratre primogenito; ut ex Historicis refert Summont. in Rege Roberto. Et ex consultis plures, quos laudat Gamm. decis. 307. num. 24. Et quamvis Barthol. rationem hujus Pontificiæ sententiæ trahere contendat ex eo, quod Regnum Siciliæ fęudum Ecclesiæ erat; meritò refutatur ab Acosta, & Alvar. Valasc. q. 65. ex hoc namque principio potest bene colligi, quod Papa debebat controversiam definire; sed minimè, quod sic debebat definire. Nam potius in fęudis repræsentatio obtinet, si dividua sunt; quæ Regnis liberis, & in quibus sanguis succedit, ob suam individuitatem, contingere nequit. Propterea, quod fęudum Regnum Siciliæ sit, potius favebat, quam noceret Carolo Umberto, nec potuit præstare fundamentum, ut Roberto adjudicatum fuerit.

128. Si-

128. Simile quid contigit in succellione Regni Portugalliæ per acerbum Sebaſtiani Regis fatum. Non enim ſucceſſit Duciſſa Parmenſis, Eduardi majoris natu inter filios Emmanuelis, quorum proles extabat, primogenita; nec Duciſſa Brigantina ſecundogenita ejuſdem; ſed Henricus Cardinalis earum patruus, poſt Eduardum natus. Nam quamvis Stephanus Garibay oppoſitum dicat, aſsignans Henrici ortum anno 1507. Eduardi verò anno 1515. profectò deceptus eſt. Quod ex eo conſtat; ſcilicet, Authores ſive Caſtellani, ſive Luſitani Henricum annum agere 66. quando pronepoti Sebaſtiano ſuccesſit, frequenter aſſerunt. Succesſit autem anno 1578. quo infelicisſima Sebaſtiani cōtigerat expeditio; ideoque non niſi anno 1512. ejus ortum aſsignare poſſumus. Accedit quod P. Ludovicus Molina, qui eodem fere tempore primarium agebat S. Theologiæ profeſsorem in Eborenſi Acadæmia, & de hac controverſia plenè inſtructus erat, ut apparet ex ejus diſp. 632. de juſtit. & jur. conceptis verbis, aſſerit Eduardum fuiſſe tertiogenitum Emmanuelis, natum poſt Ludovicum; Henricum verò ultimo progenitum inter eos ſaltem filios, qui genitori ſupervixerunt. Unde Eduardi ortum ad annum illum 1507. quo Garibay aſsignabat ortum Henrici ponere debemus, & transferre Henrici natalitium ad annum 1512. ut ſuperius innuebamus. Succesſit ergo Henricus, præteritis ex fratre majori neptibus, quia in his ſucceſsionibus, quæ jure geneſis, vel ſanguinis deferuntur, nullus

eſt

est repræsentationi locus, nisi expresse lege Regni introducta sit, sed succedere debet proximior linea, gradu, & sexu, respectu ultimi Regis præmortui.

129. Denique non temerè Sanctium hanc successionem sibi arrogasse, sed bono jure suffultum, non ineptè probat sententia Regum Franciæ, & Angliæ, qui ex contendentium compromisso in hac causa pronuntiarunt, & Regno Sanctio relicto, quædam alia Zerdensi Alphonso adjudicaverunt, ut Marian. testatur lib. 12. cap. 9. & 14. cap. 8. rursus tempore Ferdinandi IV. qui interpellatus dicitur, novo compromisso diffinierunt Reges Aragoniæ, & Lusitaniæ, qui iterato Ferdinando, Sanctii filio, & successori, Regnum addixere, relictis Alphonso Zerdensi quibusdam locis, arcibus, & proventibus, quibus nativum splendorem commodè posset substinere, ut refert Stephan. Garibay in Ferdinando IV. & tamen ex his arbitris, vel arbitratoribus ab utraque parte electis Reges Franciæ, & Aragoniæ Zerdensium jura substinuerant: par ergo est credere, causa discussa, cognovisse, jura à Sanctio, non à Zerdensibus esse.

130. Hæc, si jus commune foret duntaxat attendendum, non dubito, quin Sanctii causam extra talos, & sortem ponere sufficerent. Sed enim, cum expresse Zerdensissibus Regnum lex fundamentalis adjudicaverit; nescio, quomodo Sanctii occupatio à violentia defæcari possit. Nam quod leges illæ in partitis contentæ fuerint promulgatæ ab Alphonso, vel non;

pa-

parum prodest Sanctio; quia licet lex illa non haberet vim, ut ab Alphonso, admisso, quod eam non promulgaverit; cum tamen in illa compilatione non ut nova inducatur, sed ut descendens à primis illis sapientissimis Regni Conditoribus, traditione, consuetudine, vel scripto à Ferdinando, Alphonso, superioribusvè Regibus accepta; ab his vim, & authoritatem nata est; ut propterea Ferdinandus Sanctus, vel Alphonsus Sapiens, qui eam illi collectioni inseruit, solum fuerit testis, & quidem irrefragabilis, ejus existentiæ, promulgationis, & observantiæ; cui, si majori testimonio opus esset, contestarentur Jurisconsulti illi celeberrimi, qui antedictæ compilationi operam impenderunt. Ideò non poterat Sanctius, nisi in eam legem committendo, Regnum, nepotibus debitum, invadere.

113. Accedit. Authores denegantes huic compilationi aliam, præter doctrinalem, authoritatem, apertè se se implicare, aut irretire. Hæc enim duo sibi non consonant; quod scilicet, prædicta collectio facta fuisset ad dirimenda dissidia interpretum, qui contraria in pluribus opinati, suis judiciis, & ratiociniis, res obscuraverant, anticipitesque reddiderant; & quod nullam decisivam authoritatem inibi contenta habeant. Quomodo enim fieri poterat, ut per illas decisiones controversiæ dirimerentur; si purè doctrinales, & non legales, & judiciales sunt? Sicut per posteriorum Scriptorum judicia, etiam si uni contradictionis parti accedant, præexistentes controversiæ authoritativè non

re-

resolvuntur; sed solum parti, in quam propendent; novum accedit doctrinale suffragium: quod per alterius doctrinale judicium, ipsi oppositum, elidetur, atque adeo controversia crescit, non sopitur. Ita, si non alia sit hujus compilationis authoritas, ipsa solum parti, cui faveret, adderet novum suffragium, quo, si alii repugnarent, conttoversia magis cresceret, & novis involucris intricaretur. Id quod in subjecta specie comprobatur. Ante compilationem vigebat controversia circa patruum, & nepotem: compilatio eam elucidare, & dirimere voluit. Si illa decisio nullam habet authoritatem præter doctrinalem; controversia, ipsis fatentibus, viguit, & Sanctius potuit bono, & meliori jure contra nepotes insurgere; quid ergo deseruit illa decisio? non extinxit; sed fovit controversiam; inutilis igitur, otiosus, & prorsus supervacaneus labor. Si ergo finis compilationis fuit dissidia illa terminare, & nodos illos abscindere; legis authoritas ipsi concedenda est; nam si hebes, vel obtusus fuisset Alexandri gladius, Gordii nodum haud abscidisset, quem aliàs extricare non valuit.

132. Alphonsus Sapiens, qui in Comitiis Pallentiæ operam dedit, ut pro Sanctio decideretur, fuit quorundam Procerum Sanctio faventium suassionibus imprudenter inductus; posteà errorem animadvertens, emendare nequivit; erat enim ex illis, qui theoricè nimium sapientes, mille in praxi committunt solæcismos; & ideo ejus suffragium, ut sibi non constans, flocci

fa-

faciendum: sed si quid inconstanti testi fidei adhibendum;potius ex juribus posteriori testimonio,præsertim si in eo ad mortem usque perseveret, quam priori stari debet,de Alph.namque verificatur,quod posteriores curæ prioribus sapientiores fuere. Unde Zerdensibus, quàm Sanctio potius favet.

133. Reges compromissarii, non ut arbitri,& ex juribus, sed ut arbitratores, amicabili quadam transactione disceptationem absolvere conati sunt. Animadvertentes ergo Regnum penes Sanctium, aut Ferdinandum esse: nec dimissuros, nisi armis compulsi;quod ferè impossibile erat; in eam,quæ facilior visa est, concordiam, convenere; ut relicto æmulis Regno, Zerdensis locis, arcibus,& proventibus non parcè assignatis, contentus esset,& tempori, ac necessitati serviret.

134. Mihi ergo certissimum est, Sanctium non jure, sed vi thronum conscendisse; nec ipsi defuit opportuna satis occasio. Quia, Alphonso genitore in remotis agente, jura sua ad Romanum Imperium persecuturo, mortuus est inclitus adolescens Ferdinandus Infans *de la Zerda*, cui à Patre omnimoda rerum administratio commissa fuerat. Quo decedente, Sanctius, ipsi ordine nascendi immediatus, Reipublicæ administrandæ successit; reque felicissimè adversus Mauros, domique gesta, cæpit populum sibi devincire; pluribus insuper Proceribus, donis, & promissis in partes suas tractis, facilè fuit Alphonso reduci suadere; ut Zerdensis Infantis filiis posthabitis,quorum ætas

Regno gerendo minus habilis videbatur, Sanctium, calatis comitiis, successorem declararet; prout factum est. Hanc postea declarationem ipse, ut audax erat, & bellicosus, armis etiam contra Patrem facti pœnitentem, egregiè substinuit, parum curans de legibus; fortè si illis conveniretur responsurus cum Magn. Pompejo: *Armatus, ut leges cogitem?* benè enim illi aptari poterat illud, quo Horat. Pirr. ferociam describit.

Jura negat sibi nata; nihil non arrogat armis.

135. Nec ex eò quod Sanctius Regnum invaserit; credendum est in ejus posteris, qualis est Rex noster, minus legitimè reperiri. Nam, ut prætermittam, quod fortè ille cæpit bona fide possidere fidens opinioni complurium Doctorum, qui ejus jura potiora existimarunt, authoritati etiam Regni, cujus comitia pro ipso pronuntiarant. Ejus posteri omninò titulum legitimarunt cùm ex sententiis arbitrorum, vel arbitratorum; tùm & maximè; quia Alphonsus Zerdensis diutinæ contentionis, & exilii pertæsus, inexpectatus occurrit Alphonso ultimo Sanctii ex filio nepoti, & deosculata manu ipsi obedientiam exhibuit, ac jura spontè renuntiavit: status, loca, arces, proventus, quibus à Rege muneratus est, libenter suscepit; sicque longæva lis tranquilla transactione sedata est, ut videre est apud Marian. Garibai, & alios Historicos nostros in vita hujus ultimi Alphonsi.

136. A Sanctio usque ad Petrum, quem crudelem dixerunt, continuata successio fuit à Primogenito in

in primogenitum. Sed Petrum ipse,qui interfecit,Henricus Rex salutatus est à compluribus ex Proceribus, & Populis; paucis tamen partes filiarum Petri egregiè substinentibus. Invasio hæc fuit; non justa successio; sed quam postea justo titulo munierunt nuptiæ Henrici III. cum Catharina Lancastria Petri nepte ex majori filia, Constantia jura sua in generum cedente. Hæc linea Henrici II. ad Henricum IV.à primogenito in primogenitum fuit in Castella propagata; & in Aragonia per Ferdinandum I. Henrici tertii fratrem minorem natu, usque ad Ferdinandum Catholicum perseveravit.

137: Henrico IV.suffecta est forma, moribus, sapientia illustris Isabella, uxor Ferdinandi Regis Aragoniæ, quorum nuptiis Aragonia Castellæ adjuncta fuit; ubi observare, operæ pretium est,quod licet Aragoniæ Regnum virile fuerit,Castellæ vero fœmineum; nihilo secius, cessit Aragonia Castellæ, quæ, ex primordiali lege, nulli Regno secunda esse poterat; atque in ea totius dominationis Regia est conservata. Ab his processit Joanna, cujus conjugium totam, quota est, Monarchiam Austriacis asseruit; ut in exscripta hujus belli occasione præmisimus. Horum Regum successio iisdem, absque ulla discrepantia, legibus regulata fuit, producta linea virili à primogenito in primogenitum usque ad piissimum Carolum II. nuper defunctum. Ex his manifestè liquet,successionem juridicam Hispaniarum legibus præjactis(violentia,aut intrusione cessante)perpetuò fuisse cõformem. §.VI.

§. VI.

Legum nostrarum priores particulæ conformes æquitati naturali, & juribus exhibentur.

138. MEritò Legislatores nostri asseruerunt, leges istas successionem regulantes frequẽtiori totius orbis usu comprobari, ubivis successio generi, vel sanguini deferatur. Quia, cum sint naturali æquitati conformes, opus erat, quod ut in pluribus earum usus invalesceret. Hoc, pro majori earum decore, & reverentia, ostendere gestimus: præstabimusque cæsim, & per earum particulas discurrendo; quarum priores in hoc §. suscipimus demonstrandas.

139. Primo itaque Regni perpetuæ incolumitati prospicientes, ejus indivisionem statuerunt verbis illis. *Los Omes sabios, e entendidos, catando el prò comunal de todos, e conociendo, que particion non se podia facer en los Reynos, que destruydos non fuesen segun nuestro Señor Iesu Christo dijo, que todo Reyuo partido seria estragado, tubieron por derecho, &c.* Sufficit, superestque ad probandam hujus clausulæ æquitatem, Christi, qui Veritas est, testimonium allegare. Sed & totius Orbis inviolatus mos id ipsum experimento confirmat. Unus enim in Francia Rex succedit, unus in Anglia, unus in Dania, unus in Svecia.

Tur-

Turcarum vastissimum Imperium unus administrat. Persarum Regnum unus gerit: in Synarum Monarchia, in Japoniensium ditione unus sufficitur. Sacrum Romanum Imperium unus Cæsar moderatur, & si quando duo ipsi præfuerunt, ne pluralitas incolumitati officeret, communi consensu gubernarunt: quia omnibus veluti per se exploratum, perspectumque fuit, Regni incolumitati, indivisione statuta, consulendum fuisse, & vel lege lata, vel consuetudine continuata, consuluerunt: prout apud Justin. lib. 21. observatum legitur: *Firmius futurum esse Regnum, si penes unum remansisset, quàm si portionibus inter filios divideretur, arbitrabantur.*

140. Hanc indivisionem stabilitam fuisse in ipsis Monarchiæ primordiis, non solùm ex lege ipsa partitarum cognoscimus, vel ex ipsa fundamentali lege, prout à Tudensi refertur, quæ unum duntaxat ordine successivo ad Regnũ invitat; sed etiam ex Historia generali, Alphonso Sapiente regnãte, compilata luculentissimè constat. Hæc enim in vita Ferdinandi I. refert, quod cum hic Rex morti proximus amore filiorum in transversum actus, Regna divisisset inter filios, Sanctium, Alphonsum, & Garziam, Sanctius primogenitus, cui hæc divisio displicuit, nihil moratus, Ferdinando intrepidè objecit. *Ca los Reyes Godos antiguamente fizieron constitucion entre si, que nunca fuesse partido el su Imperio, despues, que fuesse siempre de un Señorio, e por esta razon non lo debia partir, pues Dios lo ayun-*

ayuntara en el que era fijo maior. Quam legem nolim credas latam à Gotthis Regibus, qui Hispaniarum ruinam præcesserunt; sed à Pelagio, & ejus immediatis successoribus, populo annuente: quod evidenter colligitur ex illis verbis. *Despues, que fuesse siempre de un Señorio,* quæ procul dubio præcavebant, ne Hispania à Mauris vindicata, cujus restaurationem nunquam desperarunt, scinderetur inter filios Regum. Hoc ante ruinam prævenire, necesse non erat. Quando quidem Regnum electivum erat, ut superius evicisse credimus, integrumque per electionem ad unum pervenire deberet. Quod verò tam Ferdinandus ipse, quàm ejus pronepos Alphonsus divisionem fecerint, indulgendum nimio erga liberos amori; qui ut plurimùm quæ non expediunt, nec licent, licentia, & honesta putat. Sed neutra divisio coaluit, Deo sic disponente, ut unitæ vires, nec domesticis jurgiis distractæ, facilius fidei hostes attererent. In Sancto ergo Ferdinando hæc Regna nunquam amplius dividenda, convenerũt.

141. Post statutam Regni individuitatem, legem ferentes sceptrum lineæ Regiæ perpetuò jure addixerunt, renuntiantes electioni, quæ ante Maurorum alluvionem in usu fuerat. *Tubieron por derechõ, que el Señorio del Reyno lo oviese el fijo maior despues de la muerte de su padre*, seu, ut in Tudens. legimus. *Pro lege perpetua statuentes, ut eorum Regis filius primogenitus, vel maior, si deest primus, substituatur in Regnum.* Scio Regna alia esse electiva, alia hæreditaria, ut

ut quæ armorum jure conquiruntur: alia ex pacto, & conventione inita à populo cum primo Rege, & ejus posteritate, cujusmodi Hispaniæ Regnum est; ac pro diversitate qualitatum, diversa quoque esse successionum instituta. Cæterùm, si nihil de successione sit expresse stabilitum, ex frequentiori praxi, & præsumpta populi voluntate, Regnum in familia conservari debet. Cùm enim filii Regis plusquam cæteri de Regno gerendo discere, patre præceptore, potuerint, & sanguinis claritate reliquos superent, magis expediens regimini eorum successio videtur, minusque invida subditis exaltatio. Quod perbellè edisserit Curtius. x. *In eadem domo familiaque Imperii vires remãsuras esse: hæreditarium Imperium stirpem Regiam vindicaturam: assuetos esse ipsos nomen colere, venerarique nec quemquam id capere, nisi genitum, ut regnaret.* Quis neget majorem, tutioremve concipi posse spem de Rege Regibus genito, quàm de privato ad Regium apicem exaltato? instillatur quadamtenùs virtus paterna proli, & ut plurimùm in filiis parentes quadam occulta naturæ metamorphosi refinguntur. Tritum est illud. *Est in juvencis, est in equis patrum virtus.* Insuper notissimum illud Euripidis in Archelao. *In liberis etenim virtus nobilium concipitur, & generosæ nuptiæ præstant opulentis.*

142. Nihil tamen opportunius in hoc genere adduci poterit, quam argumentum illud, quo Plutarc. apud Stobæum serm. 20. invehitur in Sophistas nobilita-

ta-

tatem spernentes: sic enim eos percellit. *Absurda est Sophistarum contra nobilitatem calumnia: quia vulgaria etiam, & omnibus notissima non considerant; nempè, quod generandæ sobolis gratia, generosi equi, & canes emuntur: item vitium, olearum, & reliquarum arborum optima quæque semina. Homini autem ad futuram successionem generis nobilitatem haud conferre putant, sed tantundem valere sive barbaram, sive græcam originem. Neque credunt, latentia quædam principia, & semina virtutis in generatione liberis communicari, ut Telemacho Ulissis, de quo Homerus clarissimo vocabulo utens, dixit. Instillata patris virtus tibi; tanquam assereret, ad paucas seminum guttas paternæ virtutis bona confluere.* Nescio, an nervosius, an elegantius disputare potuisset? Habemus itaque quod si specialem legem populus super successione non rogaverit, ex æquitate, ex publica utilitate, ex ejusdem præsumpta voluntate, in stirpe primi Regis sceptrum propagandum sit.

143. Subinde, leges nostræ non contentæ Regiæ posteritati perpetuò jure coronam addicere, ad successionem filium natu majorem iuvitarunt, ut ex utriusque legis paulò ante datis verbis satis superque liquet. Hanc primogeniti prælationem in Regnis, quæ ex pacto, & conventione generi, aut sanguini deferuntur, meritò asserit lex nostra partitarum, esse omnium gentium uniformi consuetudine firmatam. *Y esto usaron siempre en todas las tierras del mundo, doquier*

que

que el Señorio ovieron por linage. Enimverò, quamquam missas faciamus prærogativas eas, quibus, adhuc sub naturæ lege viventes, gavisu sunt primogeniti; erat enim primogenitus caput, & veluti Rex familiæ, ipsiq; primogenituræ adnexum Sacerdotium erat; ut non obscurè deducitur ex Genes. 26. *Vende mihi primogenita tua*, & sequenti cap. ibi: *Et vestibus Esau valde bonis, quas apud se habebat domi, induit eum*. Adjuncta Lyrani nostri expositione, quam omnes ferè excipiunt interpretes; aliisque non exigui momenti supra cæteros fratres eminebat, quæ ex cap. 21. Deuteronom. patent, insinuat D. Thom. in cap. 21. epist. ad Hebreos: viderique possunt in Gloss. ad cap. *Quam periculosum* 7. q. 1. Archidiac. & cæteris Scribentib. ibidem. & expendunt Joann. Andr. & Panormit. in cap. *licet*. de vot. Alexand. consil. 161. circa finem. Laud. tract. de Primogen. lib. 1. quæst. 1. 2. & 3. & lib. 2. quæst. 2. Tiraquel. de Primogen. in præfation. n. 12. & prooemium hujus nostræ legis partitarum, quo radicitus, & veluti à priori hujus præeminentiæ multiplex ratio affertur eleganter juxta, ac eruditè.

144. Hæc, inquam, licet mittamus, ad solas gentilitias Regnorum successiones arctantes sermonem; certo certius est, apud omnes gentes morem præferendi in Regni successione primogenitum, vel majorem natu filium invaluisse, & in jus quodammodo gentium transiisse, ut Perseus disceptans de Regno Macedoniæ cum fratre Demetrio natu minore, robustè urge-

Y bat,

bat, & refert Livi. lib. 40. his argumentis. *Regnare utique vis? obstat ætas mea: obstat gentium jus*. Sed paulò infra vehementius. *Cupit Regnum; & quidem scelerate cupit, qui transcendere festinat ordinem ætatis, moris Macedonum, juris gentium*. Eadem ætatis prærogativa contendentem apud Trog. Pompei. Artabarzanem inducit Justin. lib. 2. cap. 10. cujus jura his verbis commendavit. *Artabarzanes maximus natu ætatis privilegio Regnum sibi vindicabat, quod & ordo nascendi, & natura ipsa gentibus dedit*. Et rectè sanè: *Nam mos omnium populorum est, ut natu maximus imperium habeat*; prout in Polym. testatus est Herodot.

145. Nec tàm justam, & æquitati naturali adeò consonam præcellentiam jus Cæsareum debuit abhorrere. Unde ipsi favent textus. leg. *final. ff. de fide instrument.* leg. *cum pater*. 77. §. *pater. ff. de legat*. 2. Illustrant Gamm. decis. 385. Tiraquell. de Primogen. qu. 4. num. 31. Illustriss. D. D. Franciscus Ramos del Mãzano, Caroli II. nuper Regis nostri pientissimi, piissimus Institutor, vir quidem omnigena divini, & humanu juris eruditione nobilior, quam quod commendatione indigeat, in Syntagmat. pro Episcopatib. Lusitan. Petrus Gregorius lib. 7. de Rep. cap. 5. Cyriac. tom. 3. controvers. 402.

146. Sed enim jus Pontificium, quod naturalis æquitatis exta curiosius perscrutatur, & rimatur studiosius; ut ex ipsis suas sacras decisiones eviscerct; &

ex-

expressissimè huic ordini succedendi in Regnis illis, in quibus sanguis succedit, & constantissimè assistit. textus expressus est in cap. *Licet de voto, & voti redemptio.* illis maximè verbis. *Et jure quod tibi, si dictus Rex sine prole decederet, in Regno Hungariæ cõpetebat ordine genituræ, privandum, & Regnum ipsum ad minorem fratrem tuum, &c.* Videlicet Pontifex comminatur Andreæ secundogenito Bellæ Hungariæ Regis præmortui, privationem succedendi in Regno Henrico primogenito, casu, quo sine liberis obiisset (quam successionem ipsi competere in eo casu, & hypotesi, ordine nascendi, quia secundogenitus erat, non probat, sed supponit) si Reges prædefuncti votum, quod in se susceperat, non adimpleat. Quia cùm Regnum illud foret jure sanguinis successibile; statim Pontifex intulit, successionem ordine nativitatis deferri; ut major ætate, præcellat imperio. Est etiam notabilis textus in cap. *Grandi. de suppleud. negligent. prælat. lib. 6.* in quo Pontifex assignat Sanctio Capello Lusitaniæ Regi, qui impar Regni moderamini repertus fuerat, coadiutorem Alphonsum ejus fratrem, tanquam *qui eidem Regi, si absque legitimo decederet filio, jure Regni* (inquit Pontifex) *succederet.* Cum enim Regnum esset successibile, & in eo sanguis succederet, planè post Sanctium primogenitum, si sine liberis obiret, secundogenitus jure Regni succedere debebat. Unde hanc prærogativam primogenitos obtinuisse, violentia cessante, in Hispanis aliis Regnis, in Francia,

Anglia, Scotia, Svecia, Hungaria, aliisque successibilibus, ex quo gentilitia facta sunt, ex historiis ad evidentiam patet. Ut propterea lex nostra verissimè asseverare potuerit. *Esto usaron siempre en todas las tierras del Mundo, doquier, que el Señorio ovieron por linage, e maiormente en España.* Et quamvis huic universali mori causam lex prædicta in majori parentum dilectione statuere videatur; tamen cum hæc ratio potius accomodetur his primogeniis, quæ filio competunt ex parentum beneficio, quam his, quæ à populi providentia ipsis obtingunt; quale Regnum sanguinis jure successibile est; efficacior,& specialior ea ratio est, quæ ex fine ipso depromitur. Cum enim Rex propter Regnum sit, non è converso Regnum propter Regem; is deligitur lege,qui habilior præsumi debet; quia ergo qui prius nascitur, magis instructus de regnandi difficillima arte censetur,pluribusque experimentis excultus; idcirco primitivo illo Reipublicæ judicio cæteris præpositus est. Huic solummodò innixus motivo fuit Cyr. apud Xenophont. ut grandiorem filium reliquis super poneret, nec imprudenter. *Imperium relinquo majori natu, ut quem par est, rerum esse peritiorem.*

§.VII.

§. VII.

Alia legum particula, in qua fœminis defertur successio, cum prælatione ad masculos remotiores, rationi, & juribus exhibetur conformis.

147. POst vocationem masculorum, servata ætatis ad invicem prærogativa, leges ipsæ provident, quid servari debeat, si masculi desint filii Regis decedentis; & consultissimè pariterque piissimè, feminis ejusdem lineæ successionem deferunt, præteritis masculis transversalibus. In partitarum laudata lege docemur. *E por escusar muchos males, que acaecieron, y podrian aun ser fechos, pusieron, que el Señorio del Reyno heredasen siempre aquellos, que viniessen por linea derecha. E por ende establecieron, que si fijo varon no oviesse, la fija mayor heredase el Reyno.* Apud Tudens. verò legitur, *Si autem deest filius masculus, filia ejus, ordine prædicto, assumatur in Dominam.* In his verbis duo statuuntur, quorum alterum ex altero, ut ex causa sequitur: nempe, quod Regnum obtinerent semper hi, qui linea recta procedunt; quod intelligi nequit solum de linea recta, prout à primo Rege originem ducit; nam cum omnes cognati à communi stipite, linea recta, procedant; ex hac causali nulla immediatione necessaria deduceretur, quod in-

de-

defectum filii masculi, filia ultimi Regis succederet; siquidem etiam patruus, vel patruelis ejus, recta linea, à primo Rege descenderet. Et tamen verbum illud: *E por ende establecieron.* rigorosissimam causalem significat, valet namque idiomate Hispano tantum, quantum latino, particula *ideo.* ut sensus sit, *&* *ideo statuerunt*, *&c.* Vera ergo mens legis est, quod debeant succedere semper, & in omni eventu illi, qui recta descendunt à primo Rege per lineam rectam primogenitorum, vel filiorum natu majorum; ita ut linea primogeniti, quandiu durat, excludat omnes secundogenitos; eą verò extincta, regressus fiat ad lineam secundogeniti immediatioris. Hinc optimè causali deductione infertur altera verborum pars, scilicet, quod, deficiente filio masculo ultimi primogeniti, fęmina illius filia debeat ad thronum assumi. Et sensus erit, quod in Regno debent succedere semper ii, qui recta linea à primogenito, vel majori filio, in primogenitum producta descendunt, & ideo statuitur, quod si primogenitus masculos filios non habeat, filia ejus major in Regno succedat. Hic sensus, adhuc ex sequentibus redditur manifestior: nam subjungitur. *Y aun mandaron, que si el fixo mayor muriese ante que heredase, si dejasse fijo, o fija, que oviese de su muger legitima, que aquel, o aquella oviesse el Reyno, e non otro ninguno. pero si todos estos fallecięssen, debe heredar el Reyno, el mas propinquo pariente.* Fatenus enim primogenitorum, vel majorum filiorum lineą

præ-

præfertur; ut etiam casu, quo primogenitus, vel filius major patri præmoriatur, si supervivat ejus linea sive in masculis, sive in fęminis, semper præferatur. Quæ sanè prælatio est perpetua, & semper verificabilis de linea, quæ, aliis extinctis, supervivit, immediatori ultimo primogenito, cujus linea expiravit: Nam semper verum est, quod primogenitus hujus lineæ majoris superviventis, linea recta primogeniali descendat à primo Rege, quod de aliis consanguineis, verificari nequit, quoadusque hæc prorsus non extinguatur.

148. Ex his, quæ, ut arbitror, evidentissima sunt, luce clarius apparet, Regem Catholicum in ea linea reperiri, quam leges nostræ vocarunt; secus verò Austriades; Nam linea à primogenito in primogenitum producta fuit usque ad Carolum secundum, qui fuit ultimus primogenitus in hac linea; ipso sine liberis mortuo, extincta, & morte occupata est hujus lineę continuatio, unde recurrendum esset ad masculos alios Philippi IV. & eorum descendentes lineas; sed nulli reliqui sunt. Unde recursus debet fieri ad fęminas ejusdem Philippi, & easdem descendentes lineas eodem ordine ætatis servato; & quia prior natu reperitur Serenissima Infans Maria Theresia jam mortua, videndum an lineam produxerit? produxit quidem, nam ejus filius est Serenissimus Franciæ Delphinus, qui omni jure succedere deberet, ut primogenitus primogenitæ, seu majoris natu filię. Sed quia successio ei debita ad Franciæ Coronam impedit successionem Hispanam,

nam, cujus Monarcha vel solitariè vel primo prætendere debet nomen, stemma, Regnorum Castellæ, & Legionis, ex primitiva lege, & in ea thronum conservare; procedimus ad ejus sobolem. In ea reperitur Ludovicus primogenitus, Dux Burgundiæ, cui similis obstat mediata succesfio; post quem invenimus Serenissimum nostrum Philippum, cui, cum nulla ratio obstet, succesfio debita est. At in hac linea neminem Austriadum Principum reperimus; non ergo sunt in linea præoptata per leges, quandiu linea hæc Serenissimæ Infantis nostræ Mariæ Theresiæ perseverabit.

149. Profectò ex dictis legibus sic forè regulandam Castellæ successionem, (ne proprio abduci judicio contingat) edisco ex Authoribus tùm domesticis, tùm externis; ex quibus duos producam, qui distinctè id explicant; alterum externum, internum alterum, ut omnis conspirationis absit suspicio. Externus est celeberrimus Jurisconsultus Hugo Grotius, qui lib. 2. de jure bell. & pac. cap. 7. num. 22. hæc habet. *Frequens autem in Regnis est alia quædam successio non hæreditaria, sed quæ linealis dicitur, non jus illud subitionis in locum, quæ repræsentatio dicitur; sed jus transmittendi futuram successionem quasi delatã lege, scilicet, ex spe, quæ nihil ex se & naturaliter operatur, jus quoddam verum excitante: quale scilicet jus est in his, quæ ex stipulatione conditionata debentur: ita ut hoc ipsum jus in posteros ex primo Rege venientes necessario transeat, sed ordine certo; ut primò*

mò vocentur liberi ultimi possessoris primi gradus, tam qui vivunt, quàm qui mortui sunt: tùm verò inter vivos, & mortuos ratio habeatur sexus primùm, deinde ætatis. Mortuorum autem jus, si prævaleat, transeat ad eos, qui ab ipsis descendunt, pari rursus inter pares prærogativa sexus, ac deinceps ætatis, salvaque semper transmissione vivorum in mortuos; si liberi ejus desint, venitur ad alios, qui proximi sunt, aut si viverent, essent, simili transmissione, & inter pares in eadem linea observato discrimine sexus, & ætatis; ita ut ob sexum, & ætatem nunquam transeatur de linea in lineam. Cui consequens est, ut filia ex filio præferatur filio ex filia: & filia ex fratre, filio ex sorore: item filius majoris fratris fratri minori, atque ita in cæteris. Hæc est successio Regni Castellæ, ad cujus exemplum etiam Majoratus jura in eo Regno constituta sunt. Quo clarius, & distinctius testimonium vix cogitari posset.

150. Domesticus est D. Ludovicus de Molina, qui post quam lib. 1. cap. 2. & 3. solidè statuisset, Regnum Castellę caput esse omnium ejusdem Regni Majoratuum, in quibus proinde, nisi obstet specialis instituentis providentia, eodem ordine, ac in Regno succedendum est; lib. 3. cap. 4. num. 13. & 14. Successiones regulares ex Regni successione sic disponit. *Primò* (infit) *consideranda est linea, ut illi qui ex linea ultimi possessoris procedunt, cæteris præferantur, nec transitus fiat ad alias lineas, donec ex ea descen-*

dentes finiantur. Textus in cap. 1. de natura success. feud. ibi. Ad solos, & ad omnes, qui ex illa linea sunt, ex qua iste fuit. Et ibi. Sed omnibus ex hac linea deficientibus, omnes aliæ lineæ æqualiter vocantur. Secundò considerandus est gradus; ut qui sunt possessori magis conjuncti præferantur remotioribus. Tertiò considerandus est sexus; ut inter eos, qui sunt ejusdem lineæ præferatur masculus, ut paulo ante ostensum est. Quartò consideranda est ætas; ut inter pares linea, gradu, & sexu major natu præferatur minori. Quæ successionum ordinatio cum dispositis legibus nostris mirum in modum cohæret.

151. Hanc ergo fœminarum successionem in defectum masculorum ejusdem lineæ, & gradus, cum prælatione ad masculos lineæ remotioris, rationi, & juribus consentaneam esse, facile erit demonstrare. Et quidem, ni fallor, eam naturali æquitate dictatam, ex cap. 27. Numeror. colligitur. Cum enim obiisset Salphaad de tribu Joseph sine masculis; ejus filiæ à Moyse postularunt ad paternam sortem inter contribules, & agnatos suos admitti; quarum instantiam Moyses Deo detulit, à quo hoc reportavit decretum. *Justam rem postulant filiæ* Salphaad: *da eis possessionem inter cognatos patris sui, & in hæreditatem succedant. Ad filios autem Israel loqueris hæc. Homo cum mortuus fuerit absque filio; ad filiam ejus transibit hæreditas: si filiam non habuerit; habebit successores fratres suos; quod si & fratres non fuerint, dabis hæreditatem pa-*

truis

truis ejus: si autem nec patruos habuerit, dabitur hæredisas his, qui proximi sunt. Eritque hoc filiis Israel Sanctum lege perpetua. Ex hac divina decisione tria deducimus. Primum: instantiam filiarum Salphaad justam à Deo habitam fuisse, quia naturali æquitati concordem: nec enim ante hanc legem à Deo promulgatam, lex, præter naturalem rationem, erat, ad cujus amussim justitia illius potuerit regulari; atque adeo dubitari nequit, quin fęminarum ad masculos remotiores prælatio, quoad successionem, à naturali æquitate originem traxerit. Secundum: hujus controversiæ occasione fęminarum successionem lege lata inductam esse in populo Israelitico. Tertium, tam prælationem fęminarum, quam ordinem succedendi, deficientibus masculis, & fęminis superioris lineæ, hic contentum, uniformari prorsus cum ordine succedendi in primogenito legali, quale est Hispaniæ Regnum, ut videatur hoc ex illo derivare, ne de ejus æquitate ipsi unquam quæstio posset intentari.

152. Nec obscura est ratio naturalis, cui hæc decisio cohæret, quam hoc brevi discursu proferimus. Quilibet naturaliter magis afficitur ad propriam sobolem, quàm ad alienam, & ad magis conjunctos, quàm ad remotiores; ergo irrationabile foret & contra naturalis dilectionis instituta, si propriæ oblitus prolis, & si fęmina sit, suorum fructus laborum aliis relinquere compelleretur sub mortem. Nam sicut vivens institutionem naturæ sectatus, teneretur in extrema

necessitate prius filiis, aut filiabus subvenire, quam fratribus, vel remotioribus agnatis; sic moriens per relictam hæreditatem eorum contingentibus indigentiis prospicere videtur. Natura enim non considerat, vel distinguit rationes agnationis, vel cognationis, sed eodem pondere fertur in agnatos, & cognatos, quorum discrimen nimia jurium invexit subtilitas: atque ideo ejus insitæ inclinationi adversaretur, ac ingenitæ æquitati, qui proximiores fęminas propter remotiores masculos præteriret.

153. Eidem instituto se Romanorum jura accōmodavere. Quando quidem fęminæ jure duodecim tabularum, jure Prætorio, jureque novissimo ad successionem admissæ sunt; solumque lege Voconia, quam, Catone suadente, tulit tribunitia potestate Q. Voconius Saxa, ut constat ex Epitom. Liv. lib. 41. inhibebatur, nè fœmina etiam unica filia institui posset ab eo, qui tercentum mille sex tert. in bonis haberet. Cæterum hac lege iniquius nihil excogitari potuisse conceptis verbis asserit D. August. de Civit. Dei. lib. 3. Denique de Jure Canonico nullum dubitandi locum relinquit Glossa communiter recepta *in cap. si pater. de testament. lib. 6.*

154. Hæc in hæreditariis successionibus, omni dubio procul, obtinent. Sed & in individuis, & legalibus, qualia sunt Regnum, fęudum, Majoratus, obtinere quoque, quando speciale jus aliud non præscribit, & fęminas, masculos remotioris lineæ, & gradus ab

his

his successionibus abercere, & excludere, tam certum Jurisconsultis visum est; ut Bald. leg. *in multis.ff. de stat.homin.* asseruerit, Regni consuetudinem admittentem solum primogenitum ad aliquam successionem; deficiente masculo, fęminam primogenitam non excludere; imò fœmina in locum masculi subrogatur: cui consentiunt Pet.de bella pertic.& Jacob. de Aret.in leg.*si pater filium.* §. *quindecim.ff. de legat.* Tiraquell.de Primogen.quæst. 10:num. 20.Covarrub. variar.resolut.lib.3.cap.5.num.5. Ant.Gomez in leg. 40.Taur.num.62. Burg. de Pace.in proœm. legum Taur.num.66.cum sequentibus. Ideoque absolutè eas in his individuis, & legalibus successionibus præferendas, nisi expresso statuto absistere jubeantur, tenent Andr. de Isern. in cap. 1. *de eo qui sibi, & hæredibus suis*.num.2.Bald. in leg.1.ff.de Senat.Abb.in cap. *Dilecta,de majoritat.& obed.* num. 1. Archidiac. in cap. *cum devotissim.*12.q.2. Angel. in leg. *cum Prætor.* §. *non autem*.ff.de judic.Decius in leg.*fœminæ.* ff. de regul.jur.num.3. & consil.269.num.2. Thom.Gramm. decis.1.num.28.Matthæ.de Afflict.in cap.1.de natur. success.fęud.num.54. Ludovic.Gozadin.cons.8.num. 16.Tiraquell.de Primogen. q.10. num. 19. & 20. & alii propè innumeri.

155. Enim verò, si consideremus, quanta cum universalitate hæc fęminarum potioris lineæ, & gradus subrogatio in defectum masculorum, cum exclusione remotiorum, etiam si agnati sint, admissa est in

toto ferè Orbe, tàm priscis, quàm modernioribus ævis; poterit optimè de jure communi gentium æstimari. Nam harum successionum exemplis passim scatent historiæ; sufficeret allegare illud testimonium universale Claudian. ad Eutrop.

. . . . Medis levibusque Sabæis
Imperat hic sexus, Reginarumque sub armis
Barbariæ pars magna jacet.

Et ut à Medis cum hoc Poeta incipiamus, eorum potentissimum Imperium ad filiam devolutam post obitum Astiagis, ea reddita ratione, Trog. asseverat, quod *Astiages nullam virilem prolem reliquerat*. Eâdem ratione Cyaxares idem Imperium filiæ deberi autummavit, ut testis est Xenophon. *Nec enim* (ajebat) *est mihi legitimus filius mas*. Sabæi Regni exemplum producit Scriptura lib. 3. Reg. cap. 10. in Regina illa, quæ, audita fama Salomonis, ænigmatibus gravida, venit Hierosolymam, ejus exploratura sapientiam. Diodor. Sicul. lib. 4. refert Zeuthram Mysiæ Regem Argioopæ filiæ Regnum reliquisse, *quia liberos masculos non habebat*. Pausan. lib. 2. tradit, Thebanum Regnum ad Antigonem, & Atheniense ad Creusam pervenisse, quia nullus supererat mas. Illud Virgil. Æneid: 7. nulli non notum; loquitur de Latino Rege, & Lavinia filia.

Filius huic fato Divum prolesque virilis
Nulla fuit, primaque oriens erepta juventa est:
Sola domum, & tantas servabat filia sedes.

156. Hæc

156. Hæc antiqua. Sed si moderna quæramus; ut nostro sæculo vicina, eò magis obvia sunt. Excipe unam Franciam, in qua lex Salica agnationi prospicit; & in universa Europa Christiana nullum lineale Regnum ostendes, quod fęminis successioni aditum præcluserit; vel remotioribus consanguineis, sive cognatis, sive agnatis, non præposuerit. In Castella: ex superius dictis, numerabis, Ormesindam, Adosindam, Sanctiam, Berengariam, Elisabetham, Joannam, masculis remotioribus prælatas. In Aragonia; Petronillam, Eleonoram, vel ejus prolem Ferdinandū I. & Joannam. In Navarra: Blancha Comitissa Campaniæ, vel ejus jure Theobaldus. Joanna uxor Philippi pulchri Franci; Joanna uxor Philippi Ebroicensis, Blancha uxor Joannis Aragonii: Eleonora Comitissa Fuxensis, filia Blanchæ, Catharina neptis, Joanna abneptis, cujus jura subiv it Regia Franciæ domus, successere. In Lusitania exemplis opus non est, cum Regnum illud originem ducat à fęmina. Sed tamen quoad jura successit Beatrix, licet successio fuerit per Magistrum Avisii occupata: jure fęminæ Elisabethæ successit Philippus secundus: & Petrus hodiernus, sive ejus pater Joãnes, jure Catharinæ proaviæ fuerunt acclamati: Reges, an detentores? In Anglia ferè ævo nostro, Eduardo successit Maria, Mariæ, Elisabetha: jure an facto? sciscitandum à Sum. Pont. Paul. IV. Elisabethæ, jure Matris Mariæ Stuartæ, Jacobus I. ut vetera mittamus, & moderniora Elisabethæ, & Annæ exempla, quæ merè in-

intrusæ sunt; attamen argumento esse, Regnum illud fęmineam successionem non aversari, nemo negabit. In utraque Sicilia id evincunt successiones Constantiæ uxoris Henrici Svevi: Joannæ primæ, quæ successit Roberto, Joannæ secundæ, quæ Ladislao, Mariæ Siculæ, quæ successit Regi Federico, & Joannæ Aragoniæ, quæ Ferdinando Catholico subrogata est. In Hungaria Ladislao successit Carolus Martellus jure matris: Ludovico ejus nepoti, Maria ab Hungaris dicta Rex, uxor Sigismundi; Ludovico ultimo, Anna soror, uxor Ferdinandi I. Cæsaris, cujus gloriosa posteritas in Augustissimo Cæsare conservatur: In Svecia obversatur oculis successio Christinæ Alexandræ Gustavi Adolphi filiæ, qui insimul Regnum, & Lutheranos errores abdicavit; in ejusque locum Carolus Gustavus Palatinus jure fęminæ successor evasit, si non sponsus, prout fuerat destinatus. Similibus exemplis plena sunt universa Europæ Chronica: ut necesse sit admittere hujusmodi successiones juri gentium esse valdè cohærentes, & affines: meritoque leg. ***Maximum vitium. C. de lib. præter.*** culpari inducentes fęminarum exclusionem in agnatorum favorem, tanquam accusatores naturæ.

§.VIII.

§. VIII.

Regnum Castellæ non esse successionis hæreditariæ: Sed in eo succedi jure sanguinis, ex eisdem legibus demonstratur.

157. LEx partitarum, quam exscripsimus, utpotè se ipsa sufficiens regulare Regnorum nostrorum successionem, cum de ejus authoritate nullus dubitandi scrupulus, unquàm fuerit; multoque minus ut jus primævum Hispaniæ côtestatur, tàm gravida sensibus est, quàm verbis concisa. Nihil namque, quod emersuris controversiis dirimendis necesse esset, omisit; imò brevissima orationis linea, pluries id ipsum vel exprimit, vel insinuat. Sanè cum sceptrum iis, qui recta primogenitorum linea descendunt, adjudicasset; satis insinuaverat, successionem hujusmodi sanguinis jure deferri; cum in ipso primo Rege ejus posteritas vocatà sit, ipsique legis ipsius providentia, absque ullo descendentium Regum juridico interventu, successionem perpetuò deferendam. Sed quasi hæc non sufficerent, dum aliud videtur agere, id ipsum inculcat; nimirum, dum omnibus ex linea decedentis Regis extinctis posteris, proximiori consanguineo sceptrum addicit. Si namque hæreditariæ successionis fuisset, dum proximas egreditur metas successionis ab intestato; liberum Regi ultimo foret successorem

deligere, sicut liberum ipsi est, quem maluerit hæredem instituere. Nihilosecius, quia argumentis, aut illationibus ad id opus erat, quibus interdum cavillis, & sophismatibus locus fit; ne cavillandi, aut sophisticandi, ansula superesset, simplici id assertiva stabilivit. ibi. *Y esto usaron siempre en todas las tierras del mundo, doquier, que el Señorio ovieron por linage maiormente en España*. Quo nihil clarius concipi poterat. Hæc enim verba latinè loquentes sic vertere tenentur. *Et hoc ubique terrarum in usu fuit, ubivis dominium delatum est ex genere, vel linea, vel sanguine* (sic enim sonat illud (*por linage*) *maximè in Hispania*.

138. Profectò; instituto nostro multum refert, utro in Castella modo succedatur. Quia si jure merè hæreditatio succederetur, renuntiatio illa successionis, quam ardenter, & enixè Austriades opponunt Catholico Regi nostro Philippo, de qua suo loco disserendum erit; aliquid verisimilitudinis prætenderet. Quippe in hæreditariis, filii, & respectivè alii posteri, nullum jus habent, nisi quod sibi transmittitur à parentibus, vel progenitoribus suis: unde si pater, vel mater renuntiavit hæreditati, cum abdicaverit à se jus succedendi; in filios, vel posteros transmittere nequibit, ex vulgari juris proloquio, seu regula, *Nemo plus juris in alium transferre potest, quam in se ipso habeat*, à philosophico principio trahente originem. *Nemo dat, quod non habet*. E regione verò contingit, si jure sanguinis succedatur. Nam posteri non succedunt per

jus

jus aliquod à progenitoribus transmissum, sed per jus sanguini eorum per legem concessum; ideoque duplex transfusio in eis consideranda est: alia naturalis; legalis altera; duplex itidem causa transfundens: naturalis item, & legalis. Naturalis transfusio est sanguinis, quæ media genesi fit, & hujus causa transfusiva genitores sunt; legalis transfusio juris succedendi est, quæ sanguinis naturalem transfusionem consequitur, eamque supponit tanquam subjectum legalis; sed ejus causa transfusiva legislatores sunt, vel paciscentes in prima Regni constitutione de modo succedendi, qui quidem ea vel lege, vel conventione sceptrum perpetuo addixerunt posteris primi Regis; posteritatis ratione se habente, non ut jus, sed ut conditio, ut jus transferatur; vel, ut subjectum constituens, cui jus illud, suo tempore, legis beneficio, deferendum sit.

159. Hinc consequenter elicitur, quod in his successionibus, quæ jure sanguinis deferuntur, parentum renuntiatio liberis, vel posteris nocere non possit; nisi in eo solum casu, quo, parente renuntiante, successio per immediatum occupata fuisset ante filiorum ortum; minimè verò, quamdiu renuntiatio, respectu immediati, cui per illam videbatur consultum, & filiorum renuntiantis, adhuc est in pendenti: quia non adventavit casus, quo successio priori deferretur, nisi post renuntiantis sobolem procreatam. Hujus posterioris partis fundamentum, & quidem firmissimum est. Quod filii non veniant ad hanc successionem jure

sibi à genitoribus transmisso, sed jure sibi proprio, à primis institutoribus legaliter transfuso, licet cum dependentia à naturali sanguinis transfusione, tanquam à conditione, vel forma constitutiva subjecti; unde genitores juri suo renuntiantes sibi quidem nocere possunt; filiis verò minimè, quia facto suo nequeunt impedire, quin jus ex populi beneficio filiis transferatur: licet enim transmisio sanguinis à parentibus sit; transmisio verò juris à lege est; & posita priori, quin posterior ponatur pater impedire nequit. Quod optimè edisseruit Hug.Grot.lib.2. de jur. bell.& pac. cap. 7.num.26. his verbis, quæ abs dubiorem continent. *Similis est quæstio, an abdicari possit Regnum, aut jus succedendi in Regnum? Et quin pro se quisque abdicare possit, non est dubium; an & pro liberis? magis controversum. Sed quod eadem distinctione expediri debet. Nam in hæreditariis, qui jus à se abdicat, in liberos nihil potest transferre. At in lineali successione patris factum nocere non potest liberis natis; quia simul, atque existere cœperunt, jus proprium eis quæsitum est ex lege. Sed nec nascituris, quia impedire non potest, quin ad illos quoque suo tempore jus pertineat ex populi dono. Nec obstat de transmissione quod diximus; est enim ea transmissio necessaria, non voluntaria, ad parentes quod attinet.* eleganter, & plenè. Propterea semper ac renuntiatio est impendenti, si filii sint, etsi post renuntiationem nati; ipsis, ut ex potiori linea, & immediatioribus deferatur successio,

ne-

necesse est, patre se abdicante non considerato; quia habetur, veluti civiliter mortuus: sicut ergo Avo succedere deberent filii ex primogenito defuncto, patruo excluso; sic filii primogeniti, qui se abdicavit, patruum excludunt à successione Avi, nisi ante eorum ortum successionem occupaverit.

160. Hujus conditionalis, quæ erat prior pars asserti nostri, ratio potissima est. Quoniam primogenito, v. g., jus succedendi à se abdicante, apud ipsum nihil juris remanet, nec in filiis, quos supponimus nondum natos; si ergo hoc tempore delatio successionis contingat; nullus reperitur linea, & gradu proximior filio secundogenito; idcirco ejus spes ad actum reducta est, & successio ipsi deferenda. Successio verò postquam unam lineam ingressa est, eam non deserit, nisi prorsus extinguatur, quia semper hujus posteri immediatiores sunt ultimo Regi, qui per accidens, & ex facto fratris renuntiantis, cum Regnum in ejus jure, & mancipio ultimò fuerit, primogenitus fuit: unde filii post hujus successionem nati ad lineam veluti secundogenitam reducuntur. Quod optimo illo exemplo, quo usus est in successionibus Regnorum explicandis Martinus Aragonius apud Marian. lib. 19. cap. 20. manifestè comprobatur. *Sicut intercisa fontis vena, atque aliò derivata, rivi priores omnes, quibus anteà deducebatur, exarescunt, neque aqua recurrit in canalem pristinum, nisi irrigatis, completisque omnibus posterioribus aut rivis,*

aut

aut areis; ita progenies ejus, quem semel à successione contigit removeri, excludatur necesse est in perpetuum, nè adeat hæreditatem, nisi sublata alterius successoris progenie. Nam cum res sint in jure, atque mancipio ultimi possessoris, non autem superiorum, quorum jus est in alios transmissum, ut quisque eis magis conjunctus fuerit; ita optimo jure nitetur, sibique jus succedendi vindicabit. Quo sive paradigmate, sive discursu, nihil opportunius poterat excogitari.

161 Nec huic, quam in Regno Castellæ asserimus, successioni jure sanguinis obstat, quod ex adverso opponi potest (ne aliquid dissimulasse videamur) in eadem lege, cui potissimùm nititur, contineri successionem prædictam juris esse hæreditarii, ac perconsequens nihil firmi ex ea hauriri posse. Nam successionem diffinientes legis partitarum collectores, non usi sunt verbis successionem sanguinis, vel hæreditariam sapientibus. Dicunt namque, *Pusieron que el Señorio del Reyno le heredassen siempre aquellos, que viniessen por linea derecha.* Et paulo infra. *Pero si todos estos falleciesen, debe heredar el Reyno el mas propinquo pariente.* Porrò verbum illud. *heredassen, heredar,* quo utuntur apertissimè successionem juris hæreditarii significant.

162. Non, inquam, obstat; Quia cùm semel disertis verbis asseruerint, in hoc Regno jure generis, seu sanguinis succedi. *Doquier que el Señorio ovieron por linage, maiormente en Ispaña*, & paulò infra *por ra-*

zon

zon de linage. Voces illæ. *heredassen*, *heredar*. quibus utuntur non in stricta, sed in lata significatione accipiendæ sunt,ut benè observat P.Ludovicus Molin.hæc eadem verba exponens disput.626.de just. & jur. videlicet, similitudinariè;sæpè enim successores decessorum hæredes dicere solemus vulgari phrasi, esto juridicè tales plerumque dici nequeant:tam enim successor,quam hæres ad ea, quæ defunctus possidebat, veniunt, aut vocantur, sed alio, & alio jure. Hæres enim ab eo cujus hæres est causam habet, & hæreditatem capit; at successor ex sanguine, non ab eo, cui succedit; sed vel à lege, vel à Republica, vel ab institutore, ordine ab eis præstituto; ut optimè explicuit Valenzuel. cons. 198. num.2.inquiens; *Quod in Regno, & successione illius maximè procedit; pacto enim convento ob publicam salutem jam inde ab initio à tota Republica cum primo Principe inito, gentium jure inducto, Dei nomine confirmato, posteris primi illius proditur, seu aperitur Regnum; nec ab hoc, aut ab illo possessore accipitur, sed potius jure sanguinis defertur.* Unde quod hæredes dicantur,impropriè, & per quandam similitudinem intelligi debet; cum reverà constet sanguinis jure succedere.

163. Hujus non incongruum exemplar ex Sacra Theologia ministrat nobis transfusio originalis peccati. Deus constituens Adamum humanæ naturæ caput, à quo omnes homines originem ducerent, pactum cum eo iniit, & cum omni ejus posteritate, ex ipso per semi-

nalem propagationem derivante, cujus etiam protho plastum caput morale constituit; quod si præceptum de non comedendo de vetito ligno servaret, justitiam originalem posteris asseveraret, ut insimul cum natura in eos justitia originalis transiret. Sin minus; traducens naturam, privatio originalis justitiæ, quæ peccatum originale est, in ipsos transmitteretur. Peccavit Adamus, & in posteros ipsa genitura peccatum transit, ita ut in passiva conceptione filii ex Adamo naturali genesi propagati contrahant, quisque propriam justitiæ privationem, seu proprium, quod ipsi inest, originale delictum, ut diffinit Sac.Sanct. Trident. Synod.session.5.decreto de peccat.original. innixa Apostoli verbis ad Roman. 5. *Per unum hominem, peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit*. Et tamen licet quivis in generatione contrahat culpam originalem, ipsa propriè hæreditaria non est; quia homo non à proximo genitore eam contrahendi causam habet, sed à primo, vel potius à pacto, quod in primo ut in capite omnes prævaricati sunt juxta illud Oseæ 5. *Ipsi sicut Adam transgressi sunt pactum, ibi prævaricati sunt in me*. Sed, quia accedente naturæ propagatione, statim homo contrahit, & facit sibi propriam capitis injustitiam, licet à genitore immediatè naturam, & ab Adamo culpam habeat; per quamdam analogiam hæc originalis infelicitas naturæ geniture connexa, hæreditaria macula à Patribus dici solet, teste

P.Fran-

P.Francisc.Amic.tom.3.disp.25.sect.1.num. 1. eamque hoc nomine indigitasse D.Ambr. patet ex enarration. ad Psalm. 48. illa dum expendit verba. ***Iniquitas calcanei mei circundabit me.*** hæc habens. ***Alia est iniquitas nostra; alia calcanei nostri, in quo Adam dente serpentis est vulneratus, & obnoxiam hæreditatem successionis humanæ suo vulnere dereliquit, ut omnes suo vulnere claudicemus.*** & libro. de Job. Diabolus Evam decepit, ***ut supplantaret virum, obligaret hæreditatem.*** In hunc ferè modum, quia ex pacto inito cum primo Rege, & ejus posteris, statim ac sanguis propagatur, ipsi adhæret jus conditionatum succedendi, si alius, scilicet, proximior non superfit; licet à genitore sanguis, & à pacto, à lege, vel à primo Rege jus illud insit: propter utriusque connexionem, utrumque videtur à genitore immediatè derivare, quamquam solum sanguis derivet: & ideò, quod eo jure succedatur, quid hæreditarium sapere videtur, non tamen est.

164. In summa jus hæreditarium est adventitium, & dependens ab institutione vel expressa, vel præsumpta, aut interpretativa; quia vel testator instituit hæredem, vel ex legibus instituere tenebatur, aut instituisse præsumitur. Sic filius institutus hæres, succedit ex institutione expressa: succedens ab intestato ex institutione præsumpta: præteritus indebitè, ex interpretetiva, quia ex legibus tenebatur pater instituere; & ideò agit contra testamentum, & illud cassat,

ut locum habeat institutio. Jus verò sanguinis insitum est, & ab institutione illius, cui succeditur, omnino independens; ut sive instituatur ab eo; sive, alio instituto hærede, prætereatur, non opus sit testamentum infirmare: quia cum non opus habeat institutione vel expressa, vel tacita, præsumpta, aut interpretativa, nihil sua refert, instituatur, vel prætereatur; ut enim docet Barthol. leg. *ut jurisjurand.* §. *si liberi. num. 4. ff. de oper. lib.* ea quæ consanguineis, ut consanguineis deferuntur, etiam si hæredes non sint, ipsis præstari debent. Cōsentit. Bald. in cap. 1. *de eo qui sibi, & hæredibus suis.* num. 6. & 7. Ex quo oritur discrimen illud famosum feudorum, quod alia sint familiaria, & hæreditaria alia; quia in prioribus succeditur jure sanguinis, sive successor hæres sit, sive non, ut Bald. ipse docuit per text. in cap. 1. *an filius, vel agnatus. in usib. feudor.* & est communis sententia juxta Alexand. cons. 26. n. 4. lib. 5. Secus in posterioribus, in quibus ex institutione expressa, vel tacita succedi potest; idcirco priora, quia à pacto vel primaria investitura eorum successio in familiæ favorem inducitur, ex pacto, & prudentia nuncupari solent.

165. In legeque nostra, prout à Tudensi refertur, habemus exemplum, quo hoc possit elucidari. Nam in ea præscribitur, quod filius Regis patri succedat, si fuerit pater Catholicus, non successurus plane, si hæreticus fuisset, quia exceptio firmat regulam in contrarium. Sed hujusmodi patris hæretici filius posset in-

inſtitui hæres univerſalis genitoris: ergo ex vi legis eſſet hæres, & non ſucceſſor: atque adeo ille, qui ſuccederet, ſucceſſor, & non hæres: non ergo jure hæreditario ſucceditur.

166. Si dixeris hanc hypoteſim impoſſibilem eſſe, quia hæreticorum bona ſunt ipſo facto addicta fiſco ex Jure Canonico cap. *Cum ſecundum. de hæretic. lib.6.* omittentes modo eorum ſententiam, qui opinati ſunt, hanc pęnam locum non habere, quando ſunt filii ante admiſſum hæreſis crimen concepti, quam ſequuntur plures, quos laudat, & quibus ſubſcribit Marinis tom.2.reſolut.cap.95. cujus veritatem, modo diſcutere nec juvat, nec vacat; eò maximè, quò ſi vera eſſet, in ea poſſet argumentum inſtaurari in filio Regis hæretici, ante hæreſim concepto, vel nato.

167. Reſpondemus. Quod quando lex illa condita fuit, ſcilicet, anno Chriſti 718. vel circiter. imò nec multo poſt, nulla Lege Eccleſiaſtica hujus criminis rei ſuberant pęnæ hujuſmodi confiſcationis, nec etiam Cæſarea, quando ipſis erant filii Catholici. A tempore namque Arcadii, & Honorii ſtatui cępit in hæreticos bonorum confiſcatio, non abſolutè, ſed in filiorum Catholicorum defectum; nam ſi filii Catholici erant, ipſis hæreditas deferebatur, ut vel ſic allicerentur ad parentum denuntiationem. Hæc pęna à ſequentibus Imperatoribus firmata, ad Sacros Canones paulatim tranſiit, ut apparet. leg. *Manichæos. leg. cognovimus. Authent. idem. C. de hæretic. cap. quo jure.* 8.

distinct.cap.Judaei. 1.*q*.4.*cap*.1.23.*q*.7. Innocentius 3. ut habetur ex cap. *vergentis.de haeretic.* statuit, bona hæreticorum esse addicenda fisco per sentẽtiam, quamvis filios haberet Catholicos. Denique à Bonifac. VIII. cap. *cum secundum. de haeretic.* superius citato, instituta est confiscatio ipso jure, quamvis filios haberent Catholicæ communionis, inlabentes in hunc excessum, omnium bonorum, quæ restitutioni obnoxia non erãt: quam temporum distinctionem observat Tellus Fernand. ad leg. 4. Taur. Ex qua patet, quod plusquam sexcentis annis, præcessit lex illa primæva Gotthorum confiscationem bonorum ipso jure à Bonifacio VIII. statutam: & plusquam quingentis confiscationem ferendam staturam ab Innocentio. Unde merito possumus ex illa lege argumentari; cum casus ille sæpe sæpius potuerit accidere, licet, Dei gratia, nunquam acciderit.

168. Ex dictis deducitur, nullum superesse nobis motivum disputandi celeberrimam illam controversiam, quæ Jurisconsultos hactenus exercuit, & in partes distraxit. Num scilicet in Regnis successio deferatur jure sanguinis, vel quo jure? In qua plures fuere sententiæ, sicut in rebus cùm primis dubiis sæpè contingit. Nam Oldrad. & alii quos sequitur Tiraquell. de jur. primogen. q. 35. num. 3. & ex nostris Emman. à Cost. de Regn. success. 3. p. num. 2. Covarrub. Pract. quæst. cap. 1. num. 4. & 7. Garz. de expens. & meliorament. 3. p. cap. 16. num. 15. cum sequentib. Valasc. de jur. emphi-

teut.

teut.qu.50.num.2.& 12. cum aliis, quos laudat Aug. Barboſs.cap.*Grand.de ſupplend. neglig. Prælat. lib.6.* Regni ſucceſſionem hæreditarii juris defendunt. E cõtra Bald.poſt Gloſs.in cap.*ſcripſit.*27.q.2. verbo. *Dignitate.* Joann. à Terra rub. Amedeus de Pont. Gulielm.Monferr.Miereſ.Peregrin.Palat.rub. Molin.de primogenit.Greg.Lop.Valenzuela, Molin. Theolog. Caſtill. Cyriac. Robl. de repræſentat. Petrus Gregor. Arniſ.Joann. Salgado de Araujo, Rivera, Tapia, Lanar,& alii plures, quos citant Barboſs.ubi ſupra, & D. Emmanuel. Gonzalez.in cap. *licet.de vot. & voti redempt.*eam juris ſanguinis eſſe tenuerunt. Alii vero media incedentes via opinati ſunt, nec jure purè hæreditario, nec jure ſauguinis in eis ſuccedi, ſed tertio quodam jure harum Regalium ſucceſſionum proprio, & peculiari: quam ſententiam ex citato cap. *Grandi.* elici ſibi perſuadent Purpurat.conſil.429.num.3. lib.2. Jaſ. conſil.8.num.10.lib.1.Alexand.Raudenſ.tom.1. conſil.1.num.150.Caſtro de ſucceſs.Portugall.1.p.cap.1. ſect.1. Hugo verò Grot. ad ſententias concordandas diſtinguit Regna, quæ pleno dominio poſſidentur, & in patrimonio ſunt: in hiſque hæreditario jure ſuccedi autumat: & Regna, quæ ex libero populi conſenſu cõſtituta ſunt; & hæc adhuc ſunt in duplici differentia: nam vel populi conſenſus introduxit ſucceſsionem hæreditariam, & tunc non eſt dubium, quin hæreditario jure adeantur; vel linealem, & tunc jure ſanguinis obtinentur.

169.Sed

169. Sed lex nostra, ne in successione Castellæ hæc emergeré unquam posset controversia, quæ disputabilem successionem redderet, cum ingenti (ut frequentius accidit) Reipublicæ jactura; eam præventivè dissolvit, asseverans jam à primordiis hujus coronæ, ejus successionem deferri generi, lineæ, seu sanguini. *Doquier, que el Señorio ovieron por linage, maiormente en España.* & paulò infrà. *por razon de linage.* quibus omni disputioni aditum præclusit, & observavit. Quid quid enim sit, an in reliquis Regnis successio hęreditaria, vel sanguinis sit, vel tertio modo succedatur; in Castella certissimum est, sanguinis jure succedi, cum id lege expressum sit. Idem ipsum in reliquis Regnis, fęudis, majoratibus, vel quibusvis aliis successionibus ex pacto, & providentia ducentibus originem, probabilius puto, juribus inspectis, præsertim Canonico, cum ex citatis textibus cap. *licet. de voto*, & cap. *Grandi. de supplend. negligent. prælator. lib. 6.* ferè manifestè deducatur, ut observavit August. Barboss. loco superius laudato.



§. IX.

§. IX.

Proximioritas lineæ, & gradus ab ultimo Rege tanquam à puncto centrico dimitienda est, ex legibus nostris.

170. MAjor, vel minor proximitas sive lineæ, sive gradus, quæ ad succesionem regulandam potissimùm attendi debent, quædam legalis distantiæ relationes sunt inter cognatos, quibus ex lege nostra Regni deferenda succesio est. Ideo de eis sicut de quibusvis aliis distantiæ respectibus discurramus, necesse est. Porrò ad omnem distantiam dignoscendam, mensurandamvè, aliquod punctum fixum, & immobile accipere oportet, à quo lineæ prodeuntes, quò magis recedunt, plus distant; eoque minus, quo minus ab eo elongantur. Punctum centri quia fixum, & immobile, omnis circumferentiæ distantiæ optimum metrum est: ut quæ lineæ majori tractu à centro absunt, distantiores sint, quæ minori viciniores. Poli pariter, seu cardines, ut dicunt cœli, optimæ distantiarum mensuræ dignoscendæ regulæ à Mathematicis constituuntur; & per distantiam à polo locorum ad invicem distantiam animadvertunt. Ad cognoscẽdum ergo harum consanguinitatis linearum majorem, vel proximitatem, vel distantiam, necesse est,

est, stabilire, à quo velut à puncto centrico, seu à principio, deducenda mensura sit: quo stabilito, majorem vel propinquitatem, vel recessum ferè sensibiliter cognoscere, poterimus. Cæterum in eo designando variant Doctores.

Nec inutile studium reputari debet, quod huic impenditur controversiæ. Nam Juris Austriaci defensores in memoriali, seu supplici libello oblato Sanctissimo Domino nostro Clementi XI. nunc fęlicissimè Petri naviculam gubernanti (utinam ad plurimos annos) pro investitura Regni Neapolis, hujus dissidii meminerunt, licet levi, ut dicunt, manu, & aliud agentes. Unde ne aliqua hanc refricandi disceptationem occasio relinquatur, eam hic præoccupare, ut in proprio loco conabimur.

171. Igitur in omni familiari successione, sive progenitura sit, sive fęudum, sive Majoratus, sive Regnum, quod in Hispania præcipua primogenitura, & Majoratus est, imò omnium Majoratuum exemplar, ut supra tetigimus; distantiam dimetiendam esse à primo, vel instituto, vel investito, à quo cæteri profluunt, tanquàm à communi stipite, non jam ab ultimo ejus possessore, videtur colligi ex doctrina Barthol. *in leg. si cognatis.* nu. 2 *ff. de reb. dub.* Hanc opinionem approbant Alciat. *leg. cum ita legatur.* §. *in fideicommisso. ff. de legat.* 2. num. 7. Peralt. ibi. num. 22. Ripa in *leg. filius familias.* §. *divi.* num. 31. *ff de legat.* 1. Idem in *leg. Ex facto.* in princip. num. 6. *ff. ad Trebell.* Anton.

Rub.

Rub.consl. 126.num.3.D.Didac.de Covarru.qui hanc opinionem in Hispanorum primogeniorum successione veriorem existimat, in Quæstionib. practic. quæst. 37.num.1. eam communem appellant Joann. Dilect. de art.test.tit.5.cautel.21.num.3.Marc. Mant. consil. 123.n.6. Aymon. Cravet. cons. 43. num.1. laudati à D.Ludovico Molina lib.1.de Primogen. cap. 6. num. 46. qui lib.3.cap. 9.à num. 4. usque ad 10. hujus sententiæ præcipua fundamenta fuso describit stylo.

172. Attamen contrariam opinionem, ut veriorem è regione defendunt plures alii, quos Author ipse laudat,sequiturque eodem lib. 1.cap. 6.num. 41. & ex professo propositis fundamentis, quibus innititur, suscipit defendendam citato lib. 3. cap. 9. à num. 11. & deinceps, quibus bene expensis, ea apparet procul dubio probabilior. Sed & P.Ludovicus Molina de just.& jur.disp.628. per totam, eam solito acumine,& soliditate tuetur. Et quia contrariæ sententiæ patroni ducuntur exēplo fideicommissi familiæ relicto, in quo existimant decisum, majorem, vel minorem proximitatem substituti petendam esse à testante, & non ab ultimo possessore per leg. ***Cum ita legatur. §.in fideicommisso. ff. de legat.*** 2. illis maximè verbis. ***Aut post eos omnes extinctos, qui ex nomine defuncti fuerint eo tempore, quo testator moritur, & qui ex his proximo gradu procreati sunt.*** In quibus tres videtur Modestinus fecisse vocationes. primam, specialiter nominatorum: ***& post omnes extinctos:*** secundam,eorum qui sunt de

familia,& nomine testatoris, quo tempore testatur moritur. ibi. *Qui ex nomine defuncti fuerint eo tempore, quo testator moritur*. Tertiam, eorum *qui ex his proximo gradu procreati sunt*. Cum igitur secundo vocet magis conjunctos testatori, & tertio, eos qui iis magis conjuncti sunt; videtur quod ii semper succedere debeant, qui magis testatori conjuncti sunt.

173. Hic doctissimus Theologus ex hoc textu nihil, quod sententiæ illi faveat, deduci posse, manifesta eorumdem Jurisconsulti verborum interpretatione, elucidavit. Mens, inquit, Modestini non est, tres successiones, sed duas expendere, videlicet, primo vocantur, qui in fideicommisso expressè nominabantur. Secundo, *post hos extinctos*, substituuntur, qui ex familia, & nomine testatoris sunt. Sed quia statim animum pulsabat quæstio, inter hos, qui ex familia testatoris sunt, quinam quibus præferri deberent, hoc dubium sequentibus verbis dissolvit, *& qui ex his proximo gradu procreati sunt*. quasi dicat per inversionem clariorem. *Ex his* (nimirum, qui ex nomine defuncti fuerint) *qui proximo gradu procreati sunt*. ut illud *ex his*. non debeat construi cum verbo. *procreati sunt*; quo casu nova induceretur substitutio, sed referri ad præcedentia verba. *Qui ex nomine defuncti fuerint*;& sensus est planus, quod ex his, qui de nomine defuncti fuerint, illi præcedant, qui proximo gradu procreati sunt. Tertiam verò successionem non statuit Jurisconsultus, sed ex aliis legibus statuendam, & diffiniẽdam reliquit.

174. Et

174. Et quidem hanc interpretationem non minus solidam esse, quàm subtilem inde probatur, quia irrationabile, imò incredibile est, Jurisconsultum omissa dubii immediatè subnascentis decisione; mediatum, & posterius resultans occupare festinasse; sed id accideret, si vera esset contrariæ opinionis intelligentia; nam inter illos, qui expresè nominatis substituuntur, non decidiset dubium pullulans de eorum prælatione; & in secundò substitutis, id resolveret: non ergo credi potest ad posterius, priori, & immediatiori prætermisso, transitum fecise: sed econtra, quod explicata substitutione primo nominatorum in communi, illis verbis, & *post eos omnes extinctos, qui ex nomine defuncti fuerint eo tempore, quo testator moritur*; progresus fuiset ad explicandum ordinem, quo ii substitui debent, quod explevit sequentibus verbis. *Et ex bis qui proximo gradu procreati sunt*: atque adeo nihil de aliis substitutionibus cogitavit; nec ex ejus verbis elici potest, an deinceps substituendi suam proximitatem à testatore tanquàm à limite haurire debeant.

175. Utut autem fuerit, sive prima sententia in jure obtineat, sive secunda magis probetur, quod mihi verosimilius est: lex nostra relinquere noluit hujus Regni successionem his altercationibus obnoxiam; à subtilitatibusvè Jurisperitorum dependentem. Et merito quidem; quia in privatis successionibus nullum publicæ saluti ex hujusmodi controversiis forensibus imminet periculum; possuntque interese habentes sine

Reipublicæ incommodo jura sua experiri, & opperiri Judicum decisionem; at verò in publicis Regnorum successionibus, quia identidem jura reddunt tormenta, non calami; enses, non styli; prudentissimè possibiles adhuc controversiæ lege jugulantur. Lex ergo nostra partitarum, quæ ut diximus solum est scriptura Regni primò instituti, hanc difficultatem subodorata, sic loquitur. *Pero si todos estos fallecieſſen debe heredar el Reyno, el mas propinqno pariente, que ovieſſe*. Ne tamen recurreret præmissa quæstio, leg. 9. tit. 1. partit. 2. differtè explicat, à quo proquinquitas tanquàm à limite, & termino desumenda sit: nimirum, debere eos in successione præferri. *Que son mas propinquos parientes à los Reyes al tiempo de su finamiento.* perinde ac si latino dixisset idiomate, *debere in successione anteponi eos, qui Regibus, tempore obitus sui, proximiores sunt*. Ex quo manifestissimè apparet majorem, vel minorem proximitatem, vel distantiam mensurari debere à Rege illo, qui immediatè ante decessit, in cujus jure, & mancipio Regnum ultimo fuit, quod illo Martini paradigmate in §. præcedenti posito, satis oporrunè poterat illustrari.

176. Ex his satis superque claret, quomodo sit instituenda collatio inter Serenissimum Archiducem Carolum Austriacum, vel ejus Augustissimum Genitorem, & Catholicum Regem nostrum Philippum, majoris, vel minoris proximitatis ad effectum succedendi in Regnis Hispaniæ, quæ omnia Castellæ suc-

cef-

cessioni uniformantur, ex lege nostra sæpius laudata. Nempè statuendus est Carolus II. dulcissimæ memoriæ, tanquàm limes, & punctum centricum, à quo petenda est proximitas, vel distantia utriusque cum sit ultimus Rex, in cujus jure, & mancipio Monarchia ultimò fuit: quo statuto, videndum quisnam ipsi linea magis appropinquet, & cum ipse lineam non produxerit descendentem, quærenda est ejus linea ascendens, & inveniemus lineam Philippi IV. in qua ipse reperiebatur, tanquam filius ejus; & quia in eadem linea reperiebatur Serenissima Infans Maria Theresia, tanquam soror; ejus soboles in eadem linea est, nullusque alius superest ejusdem lineæ, nec etiam Augustissimus Cæsar: qui ex Philippo IV. non descendit; sed ex tertio. Unde planum est, quod Catholicus Rex Philippus V. linea proximior est. Et cum gradus computatio institui debeat inter eos, qui sunt in eâdem linea, non in diversa; sive Cæsar gradu æqualis sit, sive non, nihil nostra referre potest, quia gradus proximioritas in eâdem linea præfert; in diversa impertinens est, & minimè attendenda.



§.X.

§. X.

Lex fundamentalis alterari nequit, nisi ex causa ipsi cohærente.

177. POssunt profectò Principes, quibus lege Regia omnis ad Rempublicam administrandam potestas concessa est, leges condere, quas publicæ saluti utiles existimaverint, ab antecessoribus, vel à se ipsis latas, si inutiles animadvertunt, abrogare, in ipsisq; causa rationabili suadente, dispensare; Sed minimè leges fundamentales, quibus Regia potestas veluti cardini innititur, abrogare, immutare, vel alterare queunt, nisi ex causa ipsis fundamentalibus legibus cohærente, publico populi accedente consensu: quæ mutatio potius declaratio quædam dicenda est, quam legis fundamentalis alteratio. Hujus ratio potissima est; Quod populus, in quo ab initio omnis legislativa potestas residebat, sub his legibus, & non aliàs, transtulit in Regem, ut in ministeriale caput, omnem suam potestatem, ut per ipsum exercendam, unde leges istæ vel antecedunt, vel comitantur ipsius potestatis translationem, atque adeo infieri non dependent ab ea potestate, quam in Principem transferunt, sed à radicali totius Reipublicæ potestate; ex cõmuni autem juris proloquio, res per quas causas nascitur per easdem dissolvitur; cui consonat Philosophorũ re-

receptum principium illud, à quo res pendet in esse; pendet & in conservari. Si igitur leges hujusmodi independentes à Principe sunt quoad fieri; ab eo dependere nequeunt quoad conservari, ac per consequens eas abrogare, immutare, vel alterare, quoquo modo Princeps potis non est.

178. Ex hoc pervio principio originem trahit prisca illa, & ubique gentium recepta consuetudo adstringens Principes jure Regni successuros, ut priusquàm populus ipsis Sacramenti religione devinciatur; solemnissimè juramentum emittant de legibus Regni conservandis; quod de his fundamentalibus intelligendum est; siquidem alias, quæ potestate Regia sanctæ sunt, nemo dubitat, simili, quæ inaugurandis Regibus conceditur, facultate, quin immutare possint; imò cùm publica utilitate identidem immutant: ut scilicet hoc novo firmitatis vinculo teneantur, leges illas, quarum perseverantiam Respublica semper amavit, illæsas, sartas tectasque custodire.

179. Maximi planè momenti hæc res est;& aqua præcipuè dependet Catholici Regis nostri Philippi jus conspicuum successionis; quando quidem, ea stabilita, prorsus corruit Austriacæ Domus conatus. Nam, cum negare haud possint Regi nostro competere lineæ, & gradus prærogativam; unus superest ipsis recursus: dispositio, scilicet exclusiva Philippi IV. qui perpetuo abercuit à successione descendentes Serenissimæ Infantis Mariæ Theresiæ, posteà Franciæ Christia-

stianissimæ Reginæ: & Carolo sine liberis decedenti Austriacæ Domus germina substituit; eaque propter, hac, si inutilis sit, dispositione ablegata, Austriades principaliori destituuntur, imò unico suæ causæ subsidio. Idcirco in re tanti momenti, ne proprio abduci judicio, vel Regis amore credamur, liberiora promenda nobis erunt suffragia.

180. Ad assertum nostrum itaque firmandum est textus expressus in cap. *Intellecto, de jure jurand.* in quo Summ. Pontifex Andræam Hungariæ Regem, qui sub juramento plura Regni bona abalienaverat, à vinculo juramenti absolvit, ex ea expressa in textu ratione, quod prædicta alienatio facta fuerat, contra leges fundamentales Regni, quarum observantiam in ipsa ad thronum assumptione juraverat. Si contractus juramento firmatus celebratus à Rege contra leges Regni fundamentales, non substinetur, sed potius, irritato juramento, cassatur: argumentum est, nihil posse Reges contra hujusmodi fundamentales leges intentare. Videndus Abb. in hoc cap. col. 2. cui consonant *Felin.* in cap. *Prudentiarum. de off. delegat.* col. 2. Jas. in leg. *nemo potest. ff. de legat.* 2. Tiraquell. de Primogen. q. 21. & 27. & alii complures.

181. Nec vim hujus manifestissimi textus infirmabit, qui respondeat: idcirco contractum recisum, juramentumque irritum declaratum, quia contractus initus, & juramentum emissum contra religionem prioris juramenti; non quia contra leges Regni fun-

da-

damentales, quæ se ipsis, & à robore quod ex jure jurando nactæ sunt, præscindendo; nec infirmarent contractum, nec irritum juramentum facerent. Non, inquam, vis argumenti hac evasione enervatur. Quia Pontifex ex æquo dixit, juramentum fuisse emissum, & alienationes factas, contra leges Regni, quas Andræas tenebatur, & in sua exaltatione observare juraverat: ideoque non est ratio cur potius ad prioris juramenti vinculum, quàm ad legum observandarum obligationem irritatio, & rescisio referantur; nisi quis divinare mentem Pontificis præsumat: & consequenter ad utrũque referri debent; imò principalius obligationem servandi leges illas respectasse Pontificem, patet, ex eo, quod principalius illius obligationis meminit, inquit enim. *Quia cum teneatur* (ecce principalius) *&* *in coronatione sua juraverit* (ecce minus principale) *Regni sui jura, & honorem coronæ illibata servare, &c.* Quod expresse docuit D. Emman. Gonzal. Tell. in Commentar. ad prædictum cap. sub fine. Ex alio etiam principio deducitur, primario, & per se in causa prædictæ irritationis, & rescisionis fuisse obligationem leges illas observandi: videlicet, si Rex ab earum legum obligatione solutus esset, ita ut eas potuisset alterare, abrogare, vel ipsis, quoad aliquem specialem casum, derogare, si non esset juramentum; posset utique accedente juramento. Quia juramentum non fuit de non alterando, abrogando, derogando legibus prædictis; sed de eis observandis; observantia autem supponit earum

existentiam; cum ergo Rex posset eis derogare, vel abrogare, in eo casu juramento non teneretur, quia juramentum sequitur naturam rei super quam cadit, ut infra videbimus: ergo eodem modo eas posset abrogare, vel derogare, stante juramento eas observandi, ac si tale juramentum nunquam accessisset. Unde ad obligationem inauferibilem eas observandi, quia leges fundamentales sunt, quàm ad juris jurandi vinculum irritatio, & rescisio potius referri debent.

182. Explicatur, & confirmatur hoc. Commune est omnibus sive Theologis, sive Canonistis, qui de juramenti obligatione aliquid ediderunt; quod juramenti obligatio extinguatur, extincta materia, super quam cadit: quia corruente fundamento, corruit id, quod superædificatum est. Ut si quis sub juramento promisit bona sua ex testamento alteri relinquere; si bona jam sua non sunt tempore testamenti, ab obligatione liberatur; bona autem alieni juris multimodis fieri potuerunt, venditione, donatione, consumptione, & aliis, aut merè casualibus, aut ipsi liberis; per vinculum enim juramenti legandi, vel instituendi, non se arctavit ad non donandum, non vendendum, non consumendum; sed ad bona stantia tempore conditi testamenti relinquendum. Si igitur Rex Hungariæ facultatem ex natura Regiæ potestatis habuit dispensandi, vel abrogandi ea, quæ legibus fundamentalibus præscribebantur; hanc potestatem haud abdicavit per juramentum ea observandi; quia sicut jurans relinquere ex testamento,

mento, obligatur solum relinquere bona stantia, non tamen abdicavit facultatem ea donandi, vendendi, vel consumendi; consimili modo jurans observare leges, obligatur eas observare, si perseverent, non autem abdicavit facultatem eas ex rationabili causa abrogandi, vel ipsis derogandi. Censendus ergo esset Andræas ipsis derogasse, dum pacta illa icebat juramento firmata, ex communi regula, quod contractus valori debeat favere interpretatio. Atque adeò Pontifex ex capite juramenti infirmum deprompsisset argumentum ad irritandum posterius juramentum, & rescindendos contractus. Ergo præter propter juramentum præcedens, posterius irritavit, & contractus rescindendos edixit. Licet scopo nostro satis superque esset, quod omnes Reges in inauguratione sua hoc juramentum emittere teneantur, & re ipsa emittant; si ex eo resultat, quod prædictas leges nequeunt immutare.

183. Sed contractius, & in specie, leges fundamentales successionem concernentes immutari non posse, auferendo primogenito, vel majori filio successionem, eamque posteriori addicendo, probatur argumento text. in cap. *Sicut. de voto, & voti redempt. & in cap. Grandi. de supplend. negligent. Prælat. lib. 6.* ut adnotarunt Joann. Andr. Imol. Archidiacon. & nuperrimè D. Emman. Gonzal. Tellez. dict. cap. num. 2. Et ratio efficacissima id persuadet. Etenim successuri habent jus quæsitum ad successionem non à Regibus præcedentibus; sed ab eodem fonte, à quo hi hause-

 runt,

runt, & illi hauriunt, & insimul omnes, licet suo ordine, invitati sunt, scilicet, à populo lege lata, supposita derivatione à primo Rege; ergo jus ipsis competens ex populi dono, non verò ex Regum beneficio, Reges auferre nequeunt. Antecedens ex præcedenti §.VIII. hujus Sectionis constat. Consequentiam verò probat solidissimè text.in leg. *Cum filius familias ff.de militari testament.* ibi. *Quia hæreditati quidem suæ miles, quam velit substitutionem facere potest: veruntamen alienum jus tollere non potest.* quem textum versans Bald. appositissimè dixit, *posse militem hæreditati propriæ, non alienæ legem imponere*. Et juxta hanc doctrinam consil. 215. lib. 2. ait; quod si antiqua fęudi investitura vocaret masculos taxativè; nova nequit insimul masculos, & fęminas vocare; quia prima sęmper est attendenda; illi enim haud potest posterioribus derogari. Cui adstipulantur Deci.consil. 185.n. 3. & consil.445.num.22. Bertrand. consil. 1. nu. 98. volum. 1. Gozadin.consil.53.num.18. Tiraquell. de Primogen.quæst.21.num. 8. Afflic.decis. 112. Carol. Molinæus in consuetudinib.Paris.tit.1.§.8.gloss.3.nu. 7. Covarru.in cap. *si hæredes de testam.* num. 9. Cels. consil. 26.num. 24. cum sequentibus. Cum ergo Regnum non sit Regis, sed Reipublicæ; hujus, & non illius est de ejus successione statuere: ut pulchrè dixerit Thuan. ad ann. 1593. laudatus ab eruditissimo Regente Biscardo. *Legis esse, non Regis, de Regni successione decernere.*

184. Non

184. Non dubito, quin hæ doctrinæ Doctissimi P. Ludovici Molina oculis obversarentur, dùm disput. 627. de justit. & jur. hoc super subjecto discurrens illa praeclara verba contexuit. *Princeps autem, Consiliariique ejus nihil de novo possunt statuere circa successionem in Regno à Republica ipsa statutam, aliquid augendo, aut minuendo, vel etiam declarando, quo jus uni tribuatur, aut ab alio auferatur etiam in posterum; sed id ad Rempublicam totam spectat, antequam alicui jus acquiratur: & nec Respublica ipsa id potest, postquam jam jus fuerat alicui quæsitum vi primæ Regni institutionis*. Ubi animadvertere oportet, quod tantam in his legibus stabilitatem hic Author consideravit, ut nè dùm Regibus facultatem eas alterandi denegaverit; verùm & ipsi Reipublicæ, si semel ex primæva lege jam alicui jus quæsitum sit; rectè quidem, nam postquàm jus alicui quæsitum est, nequit sine injuria eo expoliari, sive illud quæsitum fuerit donatione, sive pacto convento, sive alio modo: semper enim verum est, quod jus suum est, & perconsequens, quod citra injuriam nequeat ab alio, quam à se ipso expoliari. In eo tamen differunt Rex, & Respublica. Quod Rex nequit leges istas invertere, sive jus quæsitum sit, sive non; Respublica verò, accedente causa ipsi legi cohærente, id possit respectu eorum, qui jus adhuc non quæsierunt, si ii, ad quos attinet, consensum præstent. Imò si causa gravissima foret, & maximè legibus cohærens, etiam genitoribus invitis, resultantia juris

juris posset per Rempublicam impediri; ut notavit Hug.Grot. citato opere de jur.bell.& pac. lib.2.cap.7. num.26. in calce. *Illud interest inter natos, & nascituros; quod nascituris nondum quæsitum sit jus; atque ideò auferri iis possit populi voluntate, si etiam parentes, quorum interest jus ad filios transire, jus illud remiserint*. Id autem intelligi debet sano modo, nempe ex causa rationabili ipsis legibus consentanea. Nam cum eadem sit Respublica, semper eadem moraliter perseverans; ex pactoque convento, & acceptato cum primo Rege pro se, & posteris suis, jus succedendi, etiam nascituris, suo tempore deferendum esset; non posset Respublica adhuc ex consensu genitorum impedire, quin transeat, nisi talis causa sit, quod ex mente convenientium, & paciscentium, si occurreret ab initio, prædicti juris resultantia verosimiliter impediretur: eaque causa debet ex ipso pacto, vel lege aliquomodo innotescere, ne voluntaria interpretatio in re discrimine, & alea plena, ex privata affectione fiat, & in tāti momenti negotio proximius vocati jure competituro præventiva violentia exuantur, vel potius spem succedendi induere prohibeantur.

185. Non tamen negaverim, quin Reges, quando causa legibus apertè cohæret, possint, pacto convento cùm habentibus interesse, ordinem succedendi Reipublicæ nomine invertere; quia cum sit Regni sponsus; ut ait Luc.de Pen.in leg. *Quicumque.C. de omn. ag. desert. lib.* 11. Cum sit Regni Tutor, ut ait

Renat.

Renat. Cupin. de Domin. Franc. lib.2. tit. 1. Mieres. p.4.q.1.num.230. Cost.de Tert.cap.17. num.9.Cum sit Regni caput,ut de se patet; ad ipsum spectat legum observantiam urgere, & Reipublicæ bono, ac Regni incolumitati providere.Ideoque quidquid in simili hypotesi paciscitur, non potest à Republica non gratum, ratumque haberi; quia ab eo gestum, cui proprio munere incumbit Regni leges, & instituta defendere ex ipsa Regni institutione. At si res non ita clara sit, sed potius dubium prudens emergat, an legibus primitivis conveniat, vel ab eis discordet? Respublica consulenda est, penes quam est authoritativa potestas declarandi, re benè perspecta, & sine privata affectione ponderata; quæ si post disceptationem appareat legibus connexa; poterit, ex ea procedere ad exclusionem; si solùm consona, exigere renuntiationem, modo paulo ante insinuato.

186. Peregrinus consil. unic. post tractatum de jure Fisc. quem ad idem induxit prælaudatus D. Regens Biscardus §. 10. suæ excultissimæ, & doctissimæ pariter Epistolæ pro jure Regis nostri Philippi, non ita pridem editæ, ex alio motivo hanc communem adstruxit sententiam. Nimirum.*Spes* (sunt ejus verba) *quam habet filius Regis, aut frater Regis viventis de succedendo post illius mortem in Regno, est adeò jure, & usu gentium comprobata, quod nec ordinatione, aut alia Regis voluntate tolli, aut immutari possit præponendo secundogenitum primogenito, aut tertium secundo,*

cundo, aut aliter. In Regnis ergo lineaticis, in quibus jure sanguinis succeditur, vel succedit sanguis ipse à primo Rege propagatus de jure gentium est, usu, & longæva consuetudine, nunquam interrupta confirmato, quod Reges nequeant quidquam circa ejus successionem per Rempublicam semel statutam disponere, invertere, aut quoquo modo immutare; sed Regnum vocatus à lege obtinere debet, eodem ordine, ac ipsi obtinuerunt. Quæ doctrina suadet nos hanc immutationem lege nostra prohibitam. Siquidem id quod reliquæ nationes quoad successionem ex jure sanguinis observarunt semper, fuisse itidem perpetuò in Hispania sanctè observatum lex partitarum toties commendata asseverat. *Y esto usaron siempre en todas las partes del mundo, doquier, que el Señorio ovieron por linage, e majormente en España.* Quibus verbis si addamus illam exclusivam, quam eadem lex apponit, dum filios ex primogenito prædefúcto præfert patruis quoad successionem Avi, scilicet. *Y aun mandaron, que si el fijo maior moriese ante que heredase, si dejase fijo, o fija, que oviese de su muger legitima, que aquel, o aquella lo oviese, e no otro ninguno.* Videtur per dictam legem facultatem ademptam Regibus prædictam legem invertendi; ut quid enim post vocatos expresse filios ex præmortuo primogenito ad Avi successionem, illam exclusivam apposuit, *e no otro ninguno*? nisi ut innueret, hanc vocationem nullo colore, nullo prætextu posse Reges invertere, vel declaratione

elu-

eludere, ut potè per Rempublicam stabilitam, quod licet reliquis ejusdem legis dispositionibus commune sit; in hac tamen legislatoribus præsertim adnotare placuit, quia non inani motivo, sed urgentissima suspicione verebantur, ne amor erga secundogenitum masculum abduceret Regem, ut illum nepoti, & maximè nepti, in succeßione præferret, si potestatem has leges declarandi, vel immutandi sibi posset vindicare.

187. Cyriacus autem controverſ. 402. eidem sententiæ suffragatur, sed ex causa enormissimæ, aut potius totalis læsionis, quam Rex proximiori inferret: ait enim. ***Læsionem autem enormem, imò totalem, considerant Doctores respectu successionis, si pater, vel alter ultimò defunctus, tolleret successionem debitam uni, & conferret alteri, sive deberetur filio, sive collaterali. Id enim prædecessori non licet.*** Cum enim jus succedendi sit donum soboli primi Regis ordinatè concessum; sine injuria, & læsione nequit à Rege eo destitui, & cum in rerum summa hæc destitutio versaretur, proculdubio læsionem enormem, & totalem inferret. Multus essem, si omnia vellem Authorum huic certissimæ, & tutissimæ sententiæ expendere faventia suffragia: ea propter ne lectori fastidio simus, consultò duximus omittenda.

188. Sed quia diximus posse Rempublicam ex aliqua causa legibus ipsis cohærente, eisdem in aliquo eventu deregare, & ex consensu parentum, ad quos attinet, ne filii jure suo tempore ipsis competituro anti-

ticipata injuria fraudentur: vel ipsis invitis, si causa vehementer legibus consonet, gravissimaque sit, impedire, jus hujusmodi nè ad eos, qui illud non quæsierunt, inposterum transeat; edisserendum restat, quænam sit hæc causa; item quæ ratio hujus limitationis? Ad primum quod attinet; causa justa & probabilis ea censenda est, quæ à legibus ipsis aliquo modo innititur, vel ex ipsis congrua interpretatione, attento principaliori fine, deducitur, hæc enim causa est legibus ipsis cohærens. Exemplum erit in legibus nostris opportunum. Si filius secundogenitus Regum Castellæ ducere vellet filiam natu majorem, & hæredem Angliæ, vel Daniæ ab Ecclesiæ Catholicæ fide dissentientem, posset Respublica ab eo exigere renuntiationem pro se, & filiis ex eo conjugio nasciturís, casu, quo juxta ordinem genituræ ipsis deferenda successio foret, & ex ejus consensu filios etiam in Catholica Fide instructos à successione excludere; quia cum lex fundamentalis vocet filios filii majoris ad successionem, si pater fuerit Catholicus, & in rigore hoc de solo genitore verificetur; nemo tamen dubitare potest quin ipsi legi cohæreat, quod uterque Genitor Catholicus sit; plus enim hoc modo satus præsumitur distare à labe, & hæresis suspicione, quam si solo patre Catholico fuerit progenitus; eòque minus vereri de ipsó poterit, ne Rempublicam à vera fide abducat, quod est finis illius conditionis. Quod si filia major Regum Castellæ Regem Angliæ pridem hæreticum, postea vero ad Catho-

tholicam Fidem conversum, virum accepisset; posset Respublica etiam, ea invita, filios hujus conjugii à successione arcere; licet enim pater Catholicus sit, vehementer legi cohæret ejus exclusio, quia cum lex vocet proximiorem ad successionem, cujus pater fuerit Catholicus, vehementer præsumitur legem voluisse, quod semper fuerit Catholicus, seu quod nunquam fuerit hæreticus, potentior quippe censetur efficacia genitoris in filios, quàm genitricis, unde majus eversionis fidei periculum inde immineret, si fortè ejus conversio subdola, & ficta fuisset, & temporalibus potius suassa motivis, quàm ex animi vera sententia.

189. Hic consequenter eruitur, quod si filia Regis, populo renuente, externo Principi, vel Regi nuberet, cum periculo mutationis status, si ejus soboles in successionem veniret; Respublica posset ejus sobolem à successione arcere, sive ipsa consentiret, sive dissentiret; quia ex lege fundamentali, filia successura debet Reipublicæ providentia collocari, ut hæc suis nuptiis sibi, & Regiæ posteritati consulat, ut scilicet Regnum conservetur sub proprio Principe sine alterius dependentia, in tantum, ut satius visum fuerit Reipublicæ quod indigenæ equiti nuberet, quam potentissimo Regi, si ex posteriori conjugio periculum mutationis status non præcaveatur, ut patet ex illis verbis. *Et illa Magnatorum Gotthorum providentia de nobilioribus Gotthis accipiat virum, de quo regalis posteritas conservetur*, scilicet in Hispania perseverans.

Sed si populus conjugio non dissentiat, poterit ab ipsa exquiri renuntiatio pro se, & posteris suis de jure successionis, quatenus prædicto fini adversatur; scilicet, si nulla, tempore successionis deferendæ esset proles, quæ perseveranter in Hispania morari posset, & de qua regalis posteritas in Hispania conservetur, imò, ipsa hoc modo renuntiare renuente, prolem quatenus prædictæ legi, & ejus fini adversatur, à successione excludere; unde si tempore deferendæ successionis unicus filius esset, isque in Hispania morari recusaret; successio, eo post habito, proximiori deferenda esset, ut Regnum immutatum omnino, & regalis posteritas in Hispania conservetur.

190. Ratio verò hujus limitationis, & quidem obvia, ac manifesta, est. Quia cum Respublica, quæ Regio sanguini sceptrum perpetuò adjudicavit, eadem sit moraliter semper perseverans, licet non possit absolutè jus semel translatum, & Regiæ soboli concessum, ipsi eripere; potest tamen, cum quoad hoc superiorem non habeat, leges, sub quibus hoc elargita est donum, vindicare, & asserere; & ubi dubiæ sunt, sine fraude declarare; perinde ac à principio, si casus omnes occurrissent, declarasset. Nam quivis hanc legislator facultatem habet suas leges explicandi, & ubi verba obscura sunt, mentem declarandi, non solùm doctrinaliter, sed authoritativè, easque ad observantiam deducendi. Id autem tunc sine fraude factum agnoscitur, quando causa est ipsis legibus cohærens, vel in ipsis

ipsis insinuata; quis enim alius, quid Respublica voluerit, assequi poterit, quam ipsa Respublica, quæ per moralem perseverantiam eadem modo est, quæ fuit ab initio, & per continuam traditionem à parentibus in filios, quid primò ipsa voluerit deprehendit? Unde oportunè satis Hug.Grot.de jur.bell. & pac.lib.2.cap. 3.num.27. asseruit, quod quando de primæva populi voluntate quæstio incidit, ipsius Reipublicæ est mentem suam aperire. Sin verò causa sit vehementer legibus connexa, jam tunc legibus diffinita videtur, atque adeo Respublica, vel Rex, qui jurium Reipublicæ vindex, & procurator est, ipsa consentiente, vel non reluctante, ejus nomine legum observantiam poterit urgere, etiam excludendo positivè, qui alias excludi nequibant, non enim tunc affert ipsis jus, sed per legem ablatum declarat; ut inposterum nequeat affectari. Hæc, quæ dicendis non parum subserviunt, hic ut in proprio loco prænotare, operæ pretium duximus.

§. XI.

Ex dictis hac priori Sectionis parte formatur argumentum positivum pro successione Regis Catholici.

191: HActenus latomi, aut cæmentarii partes subivimus, materiam, scilicet, aptantes, & fundamenta jacientes; nunc verò ædificium super hæc

hæc fundamenta architectabimus. Ex his, quæ tota hac prima Sectionis parte sparsim diximus, infallibile, & ineluctabile jus Catholici Regis nostri Philippi præ quovis alio, etiam Augustissimo Cæsare, & ejus Serenissima sobole à primo ad ultimum sic discurrendo colligimus.

102. Ille est verus Monarchiæ Hispanæ Successor, quem leges fundamentales Regni Castellæ ad successionem, aliis exclusis, invitant. Sed hujus Regni leges fundamentales invitant, aliis exclusis, Catholicum Regem nostrum Philippum. Ergo Catholicus Rex noster Philippus est unicus, verus, & justus Hispanæ Monarchiæ Successor. Discursus ad rigidas logicæ regulas constructus est. Unde si præmissæ constiterint, de consequio dubitari nequit. Præmissæ itaque probandæ.

193. Ad majorem, quod attinet, crediderim apud Austriades sic receptam fore, quod probatione non indigeat. Quando quidem, & ipsi contendunt successionem universæ Monarchiæ ex eisdem legibus; cùm enim sit Regnum Castellæ potior, & maxima, principaliorvè pars præfatæ Monarchiæ, cui reliqua omnia sive Regna, sive Provinciæ accedunt, & adhærent; nec reliqua aliquam specialem succedendi legem à Castellæ successione difformem prætendant; consequens est, ut qui ad successionem hujus Coronæ jus habet, ad cætera etiam vocetur. Porrò quod successio regulari debeat in Regno Castellæ juribus propriis, certissimum

est,

est, quia cum sit Regnum prorsus liberum, & independens, ex Reipublicæ constitutione suam originem trahens; suis legibus, non alienis gubernari debet. Libertas, & exemptio constat ex his, quæ fusè tractavimus sect. 1. §. 2. Leges verò ipsas dedimus in hac prima sectionis 2. part. §. 1. & 2. & earum observantiam probavimus §. 3. 4. & 5. Atque ex abundanti, eas omnino conformes naturali æquitati, juri gentium, Cæsareo, & Canonico ostendimus §. 6. & 7. cæsim, & per particulas eas versando. Ideoque quidquid de hoc desiderari poterat, inibi præconceptum relinquimus.

194. Minor verò, ad quam tota, necesse est, devolvatur difficultas, probatur. Quia per hujusmodi leges primò vocatur linea recta primogenitorum, vel majorum natu filiorum à primo Rege Pelagio derivans, de quo egimus hujus partis §. 6. Post modum, ne linea recta recurvetur; fęminas à primogenito, qui lineam superiorem constituit, & produxit, recta descendentes, præponunt masculis collateralibus, vel transversalibus, ut exhibuimus §. 7. Inter concurrentes lineæ, & gradus proximitas mensuranda est ab ultimo Rege, ut visum est §. 9. Descendentes ex mortuis potioris lineæ se præferunt, ex dictis eodem §. 7. In hoc Regno succeditur jure sanguinis, non hæreditario, ut ex §. 8. atque adeo parentis renuntiatio liberis jure suo venientibus, ex ibi insinuatis, & expressius discutiendis in posteri sectionis parte, officere nequit. Hujusmodi leges nulla Regnantium dispositione sive inter

vi-

apparebit. Ergo in solo Philippo concurrunt ea omnia, quæ leges desiderant, & in nullo alio; atque adeò ipse, aliis exclusis, est quem leges fundamentales invitant. Hæc omnia ex dictis certissima sunt, si demas ea, quæ de renuntiatione, & exclusione innuebamus, quæ quia potius ad negativa, quam ad positiva attinent; posteriori, quam aggredimur jam, Sectionis parti ex professò disceptanda reservavimus.

SECTIONIS II.

PARS ALTERA.

Fundamenta Austriadum discutiens.

Vidimus modo usque Catholicum Regem nostrum Philippum, attentis fundamentalibus Regni Castellæ legibus, quæ à jure gentium, Cæsareo, & Ecclesiastico non discordant, unum esse, legitimumque Hispanæ Monarchiæ Successiorem. Videndum modò quæ ab Austriacis ipsi opponuntur; ut his eversis, ejus jus, quod hactenus positivè eluxit, etiam negativè, & veluti à contrario magis magisque elucescat, sicut diescens aurora sine lucis incremento, quò dispelluntur recedentis noctis tenebræ, eo magis albescit, & claret.

§. I.

Renuntiationes ab Austriacis objectæ non attinent ad controversiam.

196. PRincipio: Austriaci Juris defensores toto conatu, & veluti firmiori machina arietare tentant Catholici Regis successionem famosis illis renuntiationibus cùm Serenissimæ Infantis Annæ Mauritiæ, postea nuptæ Ludovico XIII. Regi Christianissimo; Serenissimæ item Infantis Mariæ Theresiæ, quæ consimili sorte nupsit Ludovico Magno, seu XIV. adhuc felicissimè in Francia regnante, & quem ad etherodoxos evertendos, plurimos annos regnaturum speramus. Ex his enim duabus successivè Franciæ Reginis, Hispanis Regibus Philippo III. & IV. successivè progenitis, Catholicus Rex sua jura vindicat; ideoque si prædictæ renuntiationes subsistunt; credunt Austriaci, omni jure destitutum fore. Renuntiationes porrò istas hoc modo urgeri posse crediderim. Philippus III. Rex Catholicus, priusquam filiam natu majorem Serenissimam Infantem Annam Ludovico XIII. Regi Christianissimo desponderet, & Filio suo Philippo IV. Regni Successori, Serenissimam Elisabetham Ludovici præfati sororem Sponsam acciperet, (hoc duplicato nodo Hispanam cum Francica Monarchia perpetuo innectere volens) ne ex his nuptiis aliquando pos-

set

ſet evenire, quod hæ duæ Monarchiæ in una eâdemque perſona coirent, cum utriuſque jactura, & præjudcio (cum enim tantæ ſint, non niſi incommodè ab uno eodemque Principe adminiſtrari poſſent, & quod deterius eſſet, quævis prætenderet Regem intra proprios fines, Regiamque conſervare, quia neutra alteri cedere vellet; cum qua diù multumque de primatu, & principalitate decertaverat) exegit à Sereniſſima filia ampliſſimam renuntiationem, omnibus poſſibilibus cautelis vallatam, præſertim jure jurando; quod bis prædicta renuntians præſtit, & ante contractum, & poſt contractum conjugium; cui ſimili renuntiatione correſpondit Sereniſſima Eliſabetha, antequàm eam Philippus duxiſſet, ut contractus mutuus æqualibus hinc inde legibus celebraretur.

197. Ex matrimonio Chriſtianiſſimi Regis Ludovici cum Sereniſsima Infante Anna Mauritia, poſt plurima populorùm vota; proceſsit Chriſtianiſsimus Rex Ludovicus XIV. ex nuptiis vero Philippi IV. cum Sereniſsima Eliſabetha, Sereniſsima Infans Maria Thereſia, inter quos conjugium, replicato vinculo, pactum eſt; ea tamen lege, ut deberet Sponſa ſimilem, ex ſimili cauſa, renuntiationem emittere, prout eiſdem cautelis, clauſulis, & juramentis bis etiam emiſit, ante, ſcilicet, & poſt matrimonium in faccie Eccleſiæ contractum. Hoc ſuppoſito, inquiunt adverſarii; nequit Rex Philippus jus aliquod ad ſucceſsionem prætendere; quia ſi quod ipſi competere poſſet, eſſet vel à Sereniſsima

Avia Maria Theresia transmissum, vel à Serenissima Proavia Anna Mauritia; sed ab his nullum succedendi jus transmitti potuit, cum illud à se solemnissimè abdicaverint ante conjugium: & ne super validitate hujus abdicationis lis aliqua superesset, post conjugium, & sui juris factæ, in potestate virorum, non parentum, constitutæ, prædictam renuntiationem iterarunt; unde exceptiones minorennitatis, erroris, metus gravis, & similes, quæ intentari possent, evanescunt. Nullum igitur reliquum in ipsis jus fuit, quod ad sobolem ex prædicto matrimonio nascituram transmittere possent: præsertim cum in utroque actu juramentum intervenerit, cujus religione, licet renuntiatio Jure Cæsareo nō substineatur, Jure Ecclesiastico convalescit. Ex his quæ tradunt Doctor. in cap. *Quamvis pactum de jure jurando.* &, ut solet, copiosè, & eruditè D. Covarrub. in relect. ad prædict. cap. §. 1.

198. At verò, cessante jure Serenissimarum Franciæ Reginarum, nullus proximior linea, & gradu reperitur respectu præmortui Regis Catholici Caroli, Augustissimo Cæsare Leopoldo; siquidem ipse est filius Serenissimæ Imperatricis Mariæ Austriacæ, Philippi IV. post Annam sororis, nec ex Philippo III. utriusque genitore alia soboles superest, præter illam, quæ renuntiationibus prædictis afficitur, & earum virtute exclusa prætenditur. Ipse ergo, & secundum eum ejus filius Serenissimus Archidux Austriæ in prædicta Monarchia videtur indubitatus successor.

199. Hoc

199. Hoc est potissimum Austriadum fundamentum: quod pluribus aliis reflexionibus coadjuvari potest. Sed ne omnia simul involvamus, cum jactura claritatis, eas seorsim suis locis pōderare duximus; ut propria cujusque solutio cum ejus gravitate cōferri possit. Amamus, ut res prout in se sunt, intelligantur, & ut id assequamur, distinctionem, commodamque earum distributionem enitimur, sine qua potius obnubuntur, quàm explicantur.

200. Sed hic Austriaci Juris, vel Hector, vel Achiles, ignavus plane est, & cui nulla victoriæ spes inniti possit. Negamus enim, Serenissimas Infantes præfatas aliquam emisisse renuntiationem juris succedendi in Catholica Monarchia; solum enim renuntiarunt bonis hæreditatis paternæ, & maternæ, ex causa dotis; ut luce clarius constat ex ipsis pactis nuptialibus utriusq; quæ mutatis solummodo Infantium ipsarum nomininibus, cæterò ejusdem contexturæ sunt. Ecce verba clausulæ 4. in qua renuntiatio convenitur. *Que mediante el pagamento efectivo becho à Su Mag. Christianissima, o aquien por su mãdado lo buviere de recivir, de dichos quinientos mil escudos de oro del sol, o su justo valor en los plazos arriva dichos, la Serenissima Infanta D. Maria Theresa se baya de cõtentar, i contente con la dicha dote, sin que le quede recurso, accion, ni derecho alguno, para pedir, o pretender, que le pertenecen, o pueden pertenecer otros mas bienes, derechos, ni acciones de las herencias de Sus Mag. Catholicas*

sus

ſus padres, ò por contemplacion de ſus perſonas, ò en otra qualquier manera, ò por otro qualquier titulo ſabido, ò ignorado, porque de todos ellos de qualquier condicion, naturaleza, ò calidad, que ſean, ha de quedar excluſa, y antes de la effectuacion de ſu deſpoſorio harà renunciacion en forma de ello con todas las fuerzas, firmezas y ſolemnidades, que ſe requieren, ò ſon neceſſarias, la qual harà antes de caſarſe por palabras de preſente, y deſpues la aprobarà, y ratificarà juntamente con el Rey Chriſtianiſſimo luego, que haya celebrado ſu caſamiento. Hæc eſt emiſſæ renuntiationis materia, videlicet, hæreditas bonorum patris, & matris; nec ullum verbum eſt, quod ſucceſsionem Regnorum, de qua modo diſputamus, aliqualiter concernat. Unde quantumcumque validę ſint hujuſmodi renũtiationes, extra controverſiam noſtram ſunt, quę ſolum jura ſucceſsionis in Regnis, nõ in hæreditariis modò diſceptat.

201. Niſi velint adverſarii, in renuntiatione hæreditatis paternæ, & maternæ comprendi ſucceſsionem in Regnis, aut paternis, aut maternis, fortè, quia in ipſis, ut nonnulli dicunt, ſucceditur jure hæreditario. Sed hoc nihil prodeſt: tum, quia licet in aliis Regnis locum habere poſset prædicta ſententia, quæ tamen frequentioribus Juriſtarum ſuffragiis rejicitur, ut vidimus parte præcedenti §. 8. in Regnis Hiſpaniæ procul dubio obtinere nequit: quando quidem ex ipſis legibus conſtat, ſucceſsionem in eis deferri jure ſanguinis, ut ibidem expenſis verbis oſtendimus; Conſequens igitur eſt,

quod

quod in renuntiatione, etiam amplissima, hæreditatis, Regni successio cadere nequeat. Tum etiam, quia licet in Regnis successio juris hæreditarii foret, adhuc non veniret renuntiatio sub terminis quomodolibet indefinitis successionis hæreditatis paternæ, vel maternæ. Et ratio est. Quia licet in Regno, in Fęudo, in Majoratu succederetur hæreditario jure, tamen Regnum, Fęudum, vel Majoratus non sunt bona omnino, & propriè paterna, vel materna, ut docet Covarrub. citat. cap. *Quamvis pactum* part. 3. §. 3. num. 6. unde filius, vel filia renuntians hæreditati paternæ, vel maternæ etiam sub juramento, non censetur renuntiasse Regno, Fęudo, vel Majoratui, & pro hac opinione citat Alvaro. & Præposit. in cap. 1. *De eo qui fin. fecit agnat. de feudo paterno.* Paris. consil. 12. num. 59. Thom. Grammat. dec. 101. num. 10. quorum opinionem verissimam appellat, & obviis ulnis suscipit P. Ludovic. Molin. de just. & jur. disp. 579. num. 22.

202. Rursus. Quando Regnum, Fęudum, vel Majoratus forent bona paterna, ut ex hoc capite propriè sub nomine paternæ hęreditatis venire possent; adhuc sub generali renuntiatione his verbis concepta non caderent. Quid enim in jurisprudentia sive Civili, sive Canonica frequentius, quam quod in generali dispositione, vel concessione non veniant, quæ speciali nota digna sunt; vel quis non esset in specie concessurus? planè nihil: videatur Regula *in generali concessione.* de regul. juris lib. 6. & Doctores ibidem collecti ab Augu-

gustin. Barbos. Numquid Regnum, Fęudum, vel Majoratus speciali nota indigna contrarii existimabunt? vel illius conditionis, ut qui paternæ hęreditati generice renuntiavit, juri succedendi in Regno, in Feudo, in Majoratu, si renuntiatio specifice ab ipso requireretur, in specie renuntiaret? Non credam. Si namque in his regulę non tenerent, vix daretur casus, in quo possent verificari.

203. Nihilominus, ut videant Regi Catholico tantum juris esse, ut posit etiam sine incommodo suo Austriacis donare; donemus & nos ipsorum defensoribus Regnum fore juris hæreditarii, & renuntiata hæreditate in genere, intellegi Regnum etiam renuntiatum. Adhuc his donatis nihil habent; misera, & deploranda reverà causa, quæ omnia decerpit arbitria, & adhuc sententiam favorabilem reportare nequit. Ratio est manifesta; quia hæ Serenissimæ renuntiantes renuntiarunt quidem hæreditati paternę, & maternæ, sed nō fraternæ, ut ex ipso contextu renuntiationis jam exaratæ apparet; ideo sive patri, aut matri succedere potuerint sive non; fratri & ipsæ, & earum soboles potuerunt succedere intestato; multo melius ex testamento. Hujus duplicis asserti duplicem produco testem, utrumque omni exceptione majorem alterum ex Juridico cætu, & ex Theologorum albo alterum. Prior est doctissimus Covarrub. qui in laudata relectione ad cap. *Quamvis pactum* 3. part. § 3. num. 2. hæc habet. *Decimoquarto, eadem ferè ratione responsio hujus capitis*

est

est intelligenda, ubi filia paterna bona, ut paterna petierit, nam excluditur per pactum juramento præstito firmatum. Quod si ea bona, ut fraterna petere velit, postquàm à patre illa devenere in fratrem, cui ipsa succedere intestato poterit; nihil filiæ nocebit paternæ hæreditatis renuntiatio: sicuti expressim probare conantur Angel.cons.52.Alexand.in leg. 1.§.veteris.ff. de acquirend.possession.Paul.& Aret.in leg.Paul.§.1. ff.de acquirend.hæredit.Decius in leg.hæreditas. nu.8. ff.de reg.jur.quo in loco hoc ipsum censet,intelligendum esse, quoties patris hæreditas fuerit per renuntiantis fratrem adita: unde aliud dicendum, si nondum fuerit adita per fratrem hæreditas paterna, cum adhuc hæc hæreditas paterna sit, potius quam fraterna. leg. sed si plures.§.si filio.ff. de vulg. Nihilominus *ipse opinor, non esse in hoc vim aliquam; modo filia, quæ renuntiaverit hæreditati paternæ, bona paterna petierit, ut hæres fratris, non patris: quod idem Decius cõsiderat in leg.quoties duplici jure.in fine ff.de regul.jur. post Benedict. à Capra.consil. 12. ad fin. Aret. consil. 161.in princip.atque ita jure optimo procedit hic intellectus,quem itidem sequuntur Socin.cons.74.lib.3.& Purpurat.in d.leg.ul.Cod.de pactis.n.198.* Audivimus Juristam; non pigeat audire Theologum. Is est P. Ludovicus Molina qui disp.citata 579. num.20. hæc habet. *Licet quis cum juramento renuntiaverit hæreditatem alicujus, v.g., patris; potest nihilominus succedere in bonis illius loco alterius, ad quem immediatè*

ex patre ea bona deferantur; ut loco fratris, cui is, qui paternæ hæreditati renuntiavit, immediatè succedat. Id quidem non solum si is frater, qui immediatè patri succedit, adivit hæreditatem patris; sed etiam si illam nondum aditam transmittat in fratrem, qui paternæ hæreditati renuntiavit, juxta ea, quę disput. 180. dicta sunt. Utrumque affirmat communis Doctorum sententia, quam referunt, & sequuntur Anton. Gomez. leg. 22. cit. num. 3. Covarrub. cap. Quamvis pactum. part. 3. §. 3. num. 2. multisque id Anton. Gom. confirmat, estque ex se satis perspicuum. Duos hos citasse sufficiat, quorum quilibet instar multorum est, & quia cum pluribus loquitur, & quia etiam si solus loqueretur, ob insignem peritiam multis benè equipollet.

204. Ex hoc primo asserto corollariè depromitur alterum, quod nimirum, filius, vel filia renuntians hæreditati paternæ sub juramento possit fratri, vel alteri, qui paternam hæreditatem adiit ex testamento succedere. Nam quisquis capax est succedendi alicui intestato, potest potiori titulo, & duplici veluti jure ex testamento: unde in re clarissima testibus non egemus, ii enim, qui ipsi intestato succedere, tenent, à fortiori ex testamento, succedere posse, substinent. At ut constet, quàm hoc citra controversiam sit, id adjungere placuit; nedum fratri, sed & patri, cui renuntiavit, potest ex testamento succedere, necquidquam obstante renuntiatione. Redeat idem ipse Covarrub. loco superius laudato, in initio 3. part. nu. 8. sub quo hæc habet.

Se-

Secundò: præmissa eadem pactione, qua patri filia renuntiat futuræ hæreditati; atque in effectu juxta juramẽtum præstitum patrem liberat, & eximit ab obligatione legali, qua tenebatur filiæ legitimam portionem titulo institutionis relinquere: si pater non obstante hoc pacto, in testamento filiam vocaret ad aliquam hæreditatis partem, nihilominus eam percipere poterit: & admittenda est ex testamento; nec potest à fratribus pactum hoc eidem objici. Potuit enim pater pacto huic tacitè, vel expressè renuntiare, ac remittere libertatem ex eo pacto sibi acquisitam, ut nihil teneretur filiæ in morte relinquere. Hujus opinionis Author est Barthol. in d. leg. stipulatio hoc modo concepta. & ibi Roman. ff. de verbor. obligat. Bald. in leg. pactum dotale. q. 6. C. de collat. & Matth. Afflict. in cap. si quis investierit. n. 24. de feud. dato in vicem leg. commis. quorum opinio ex his, quæ juniores tradidere in d. leg. pactum. & in d. leg. stipulatio hoc modo concepta. Frequentiori Doctorum calculo recepta videtur. Hæc Covarrub. non quidem unus, sed probatiorum Jurisconsultorum stipatus subsidiis. Sed eidem succedat prælaudatus Molina, qui disp. allegat. num. 23. inquit. *Filius, qui cum juramento renuntiavit hæreditati paternæ, esto expresserit, nec ex testamento illi successurum, si tamen postea hæres à patre instituatur potest illi succedere in portione, in qua fuerit institutus, nihil impediente juramento. Ita communis Doctorum sententia, quam referunt, ac sequuntur Anton. Gom. leg. 22.*

citat.Covarrub.cap·Quamvis pactum.p.3.in init.nu.8.Molin.lib.2.de Primogen.cap.3.num.6. Nec etiam ſolus nobiſcum venit hic celebris Theologus. Quid mirum, ſi eſt communis ſententia?

205. Accedit ratio manifeſta. Nam licet in prædicta renuntiatione jurata, filius, vel filia ceſſerit juri paſſivo, ut inſtitueretur, ut propterea pater obligatione legali inſtituendi exemptus ſit; tamen patrem non privavit, nec privare potuit jure ſuo; nec etiam pater admittens prædictam renuntiationem ſe ipſum privare cenſetur; illa enim concernit patris favorem, non odium: ſi ergo pater liber eſt, & facultatem habet quem velit ex filiis inſtituendi in portione ſibi renũtiata; poteſt, licet non teneatur, ipſum filium, vel filiam, quæ renuntiaverit, inſtituere; & inſtitutus petere portionem, cui ſolùm renuntiavit, ut pater liberè inſtitueret, non obſtante juramenti vinculo: quod ſolum officit renuntianti, ne, niſi inſtituatur, hæreditatem petere poſſit; non verò, ne vocatus ſuſcipiat, quod citra obligationem pater ipſi reliquit.

206. Ex his apparet liquido; nihil conferre poſſe Juri Auſtriaco, quod ipſi donavimus, ſcilicet, Regnum Hiſpanicum fore ſucceſſionis hereditariæ, ipſique renuntiatum intelligi à Sereniſſimis Infantibus Anna, & Maria, quando paternæ, & maternæ hæreditati renuntiarunt. Cum enim hæ renuntiationes impedire nequiverint, quin à Regibus patre, vel fratre inſtitui potuerint hæredes ex teſtamento, & proles Sereniſſimæ

In-

Infantis Mariæ Theresiæ re ipsa fuerit instituta, & ad Regnum vocata per fratrem Carolum II. dulcissimæ memoriæ, pridem defunctum; si jure hæreditario succedendum sit, omni dubio procul, Rex noster Philippus expresse vocatus, & institutus succedere debuit. Necesse igitur est, quod alterutrum, velint nolint, admittant; vel renuntiationes illas tantopere magnificatas, & decantatas, controversiam præsentem non attingere, quæ agitatur de Regno, in quo succeditur jure sanguinis, non hæreditario jure; vel si jus hæreditariæ successionis in eo locum habeat, causam ipsis desperatam prorsus esse.

207. Et quidem si prædictis Authoribus fides adhibenda est (sed quibus melius credi potest?) nedùm Carolo intestato (fortius instituenti) succedere potuit Philippus noster; sed, quod magis est, Philippo ipsi IV. si in his circumstantiis, sub quibus Carolus, obiisset, nempe absque alia prole, præter eam, quæ ab ejus filia renuntiante procedit, renuntiatione, & juramento frustra enitentibus, successisset intestato, vel eum præterenti. Rationem asignat Covarrub. loc. cit. num. 4. his verbis. *Quartò, si paternam dilectionem, & erga liberos amorem consideremus, pactum illud renuntiationis hæreditatis paternæ conceptum eo tempore, quo pater alios habet filios, vel habere sperat, & ab ipso acceptatum pro se suisque hæredibus; ita erit intelligendum; quod si pater mortem obierit absque aliis liberis, minimè nocebit huic renuntianti: imò ea admittitur*

om-

omnino & ab intestato, & ex testamento adhuc contra voluntatem patris. Nam etiam si in ea pactione de hæredibus feminis, & masculis intelligendum sit; non tamen est præsumendum, paciscentes de exteris intellexisse: imò tantum de his, qui fuerint descendentes à patre; cum alii maxima cum injuria præferantur filię. leg. cum acutissimi. C. de fideicommis. leg. ex facto §. ult. ff. ad Trebellian. Nec per latum unguem discordat Molin. disp. 579. num. 19. prope medium. *Quare* (inquit) *si deficiant omnes fratres, & sorores renuntiantis, totaque eorum soboles, regulariter expirat renuntiatio. Ita communis Doctorum sententia, quam referunt, & sequuntur Ant. Gom. leg. 22. citat. num. 11. Covarrub. cap. quamvis pactum. §. 3. num. 4. Molin. cap. 3. citat. num.* 48. Ne autem quis putet verbum illud. *regulariter.* mysterium aliquod continere contra institutum præsens, subjungimus ejus intellectum. ***Dixi regulariter, quoniam si filius, vel filia religionem ingrediens renuntiet cum juramento successioni parentum, videtur renuntiare, ut estò parentes liberos non habeant, possint ad libitum disponere de suis bonis, vel ad alia pia, vel inter collaterales.*** Hæc cum ita sint, & tempore obitus Caroli nulla Philippi IV. alia proles superesset, pręter filium, & nepotes Serenissimæ Mariæ Theresiæ; si Philippus ipse sub eisdem decessisset circunstãtiis, videtur indubium (quando Regnũ hæręditario jure adeundum foret) necessario eidem volenti, nolenti, prolem ejusdem filiæ, quæ renuntiaverat,

verat, succeſsuram fuiſſe. Nec moramur in tam manifeſta hypotheſi *nondum declamatorem de ludo, vel rabulam de foro, ſed nec doctiſſimum, & perfectiſſimum Oratorem*, ut Tulli in Orat. phraſi utamur:

§. II.

Excluſiones Sereniſſimarum Infantium, pacto cum Chriſtianiſſimis Regibus à Catholicis icto, diſceptantur.

208. Sed clamitant, & clamando rauceſcunt Auſtriaci, in prædictis pactis nuptialibus clauſula 5. reperiri ampliſsimam renuntiationem cujuſcunque juris ſuccedendi in Regnis, Statibus, & Dominiis Regum Catholicorum, ſuorum Genitorum, emiſſam ab his Sereniſsimis Infantibus pro ſe, & omni ſua poſteritate in perpetuum, juramenti vinculo vallatam, omnibuſque cautelis munitam, cum expreſso aſsenſu utriuſque Regis Catholici, & Chriſtianiſsimi, ex cauſa publica conceptam, quam inficiari, eſset ſoli lucem diſputare; cum ergo, vi earum proles Sereniſsimæ Infantis Mariæ Thereſiæ (& idem dicendum de prole Sereniſsimæ Annæ, quæ ſimilem prorſus renuntiationem emiſsit, ut ex ſuis pactis nuptialibus) perpetuò arceatur à ſucceſsione in prædicta Monarchia; non videtur ſupereſse dubitandi locum; quin ſucceſsio ad Sereniſſimi Leopoldi prolem devolvatur, tanquam (altera ex-

exclusa) & linea, & gradu Carolo II. proximorem; ut ex dictis, & à nobis non negatis satis patet.

209. Hæc instantia urget nos, ut in medium prædictam clausulam proferamus, & factum concordetur; alioquin semper & ipsi, & nos in æquivoco cespitabimus. Ecce clausulam. *Que por quanto por las Magestades Catholica, y Christianissima se bà venido, y viene en este casamiento para con el vinculo deel perpetuar, y asegurar mas la paz publica de la Christianidad, y entre sus Magestades el amor, y hermandad, que se desea, y en consideracion de las justas causas, que muestran, y persuaden las conveniencias del dicho casamiento, mediante el qual, y con el favor de Dios, se pueden esperar felices sucessos en gran bien, y augmento de la Fè, y Religion Christiana, y beneficio comun de los Reynos, Subditos, y Vasallos de ambas Coronas: y por lo que importa al estado publico, que siendo tan grandes no se junten, y queden prevenidas las ocasiones, que podria haver en juntarse, y en razon de la igualdad, y conveniencia, que se pretende, y otras justas razones, se assienta por pacto convencional, que sus Magestades quieren tenga fuerza, y vigor de ley establecida en favor de sus Reynos, y de la causa publica de ellos, que la Serenissima Infanta D. Maria Theresa, y los hijos que tuviere varones, y hembras, y los descendientes dellos, y dellas, asi primogenitos, como segundos, terceros, y quart genitos y de alli adelante en qualquier grado que se hallen, para siempre jamas no pue-*

puedan suceder, ni sucedan en los Reynos, Estados, y Señorios de Su Magestad Catholica, & post expressa dominia, subjungitur, *aunque en vida de la Serenissima Infanta D. Maria Theresa, ò despues en las de qualesquier descendientes primogenitos, segundogenitos, ò ulteriores llegue, y suceda el caso, y casos, en que por derecho, leyes, ò costumbres de dichos Reynos, Estados, y Señorios, y de las disposiciones, y titulos por dò se sucede, y pretendiere suceder en ellos, les avia de pertenecer la sucession, porque della, y del derecho, y la esperanza de poder suceder en estos Reynos, Estados, y Señorios, y de cada uno de ellos, desde luego se declara queda esclusa la dicha Serenissima Infanta D. Maria Theresa, y todos sus hijos, y descendientes, varones, y hembras; aunque digan, ò puedan decir, y pretender, que en sus personas no corren, ni se pueden considerar las razones de la causa publica, ni otras, en que se pudo fundar esta exclusion, y que quesieren alegar, que aya faltado, lo que Dios no quiera, ni permita la succession de Su Magestad Catholica, y de los Serenissimos Principes, y Infantes, y de los demas hijos, que tiene, y tubiere, y de todos los legitimos Successores, porque toda via, como dicho es, en ningun caso, ni tiempo, ni sucesso, ni acaecimiento, han de suceder, ni pretender suceder ella, ni sus hijos, ni descendientes. Sin embargo de las dichas leyes, costumbres, &c.* Cætera pertinent ad cautelas, & deregatorias particulas, quæ modò non deserviunt; & quidem satis transcripta essent, si bona essent.

210. Ut verum fatear, in singula hujus clausulę verba pluries oculos intendi, & post singula spectata, lecta, considerata, renuntiationem nullam invenio juris succedendi à Serenissima Infante emissam, ut dicebant contrarii: percurrat ea, quæso, curiosus Lector, & si invenerit, indigitet mihi; ne vivam, si mercedem non solvam. Ubi ergo illa est tantopere decantata renuntiatio? Hic, nisi mentiantur oculi, solummodo cōtinetur exclusio Serenissimæ Infantis,& ejus prolis perpetua, & pro omni eventu, pacto convento inter Reges Catholicum,&Christianissimum,non vero renūtiatio. Porrò inter exclusionem,& renuntiationem ingens patet spatium, grandeque mediat discrimen. Renuntiatio est actus voluntatis renuntiantis, spontaneus, & liber; exclusio est actus voluntatis alterius. Qui renuntiat, abdicat liberè à se jura, quibus renuntiat: qui excluditur, non abdicat liberè; sed volens nolens illis exuitur. Hinc aliud oritur notabile discrimen, quod qui renuntiat, potest jura à se illicitè, sed validè abdicare, quia quivis, lege non prohibitus, res suas alienare potest, si tamen prodige,inutiliter,aut contra propriam charitatem, peccabit quidem, sed contractus tenet; at vero exclusio à proprio jure nequit fingi valida, & illicita: eo enim ipso, quo sine justifica causa fit, inutiliter, & illicitè fit. Si ergo Austriaci volunt, quod in prædicta clausula contineatur amplissima francigenæ prolis exclusio; non renuemus: si renuntiatio emissa à Serenissima Infante, constanter negamus: nec illam unquàm,

quàm, vel usquam ostendere poterunt.

211. Sed priusquam hujus exclusionis vires expendamus, id in confirmationem eorum, quæ §. præcedenti statuimus, prænotare debemus; Jurisconsultos, qui hanc exclusionem, & illam renuntiationem conceperunt, qui omni procul dubio viri fuerunt doctissimi, & ex præcipuis Regni Ministris; nihil Serenissimæ Infanti, & ejus proli nasciturae per prædictam paternæ, & maternæ hæreditatis renuntiationem, quoad jura successionis, derogatum optimè cognoverunt. Si enim per illam renuntiationem satis consultum existimarēt possibili periculo illius successionis: ut quid denuo hanc amplissimam exclusionem, pacto convento, & habente vim legis, excogitarunt? Sanè quia certum illis erat, in hoc Regno successionem juris sanguinis esse, non hæreditarii; subindeque non posse genitricem facto suo impedire, nè liberi suo tempore proprio jure succederent, quibusvis clausulis successionem pro se, & illis abdicasset; parum fidentes huic renuntiationi; illam absolutam, & omnimodam exclusionem Serenissimæ Infantis invexerūnt: an fęlicius? ex sequētibus clarescet.

212. Eam nullius roboris esse manifestant quæ §. X. partis prioris produximus ad probandum Reges nulla potiri facultate invertendi leges Regni fundamentales, eas præsertim, quæ formam succedendi præscribunt: & quia hujusmodi leges ab ipsa Republica latæ sunt independenter à ministerio Regum: & quia per illas omnis Regia posteritas quoddam inchoatum

 jus

jus quęsivit in primo Rege, cui nequeũt successores prejudicare: & tandèm quia in sua assũptione jurant earum intemeratam observantiam. Unde exclusio hujusmodi etiam, pacto convento, facta, ut pote procedens à non habente potestatem paciscendi, vel abrogandi leges fundamentales, quibus contrariatur, nullius subsistẽtiæ est, quatenus à Regibus, ut Regibus, & non à Republica originem trahit. *Cum Regna habeant jura sanguinis, & in illis succedant primis Regibus, qui Regnum habuerunt, non autem ultimò morientibus, nihil in præjudicium successorum disponere possunt.* Dixit ex nostris Jurisconsultis Sanctius de Mieres. de Majorat. q. 1. p. 4. num. 127.

213. Attamen, etiam si Reges ex causa publica facultate potirentur invertendi leges Regni fundamẽtales, adhuc illas, quæ successionem concernunt; hujusmodi exclusio Serenissimæ Infantis, & ejus sobolis in perpetuum, nullius esset roboris, quia Serenissima Infans, ex quo nata fuerat ex sanguine Philippi IV. jus quæsierat ad succedendum, & secundum eam proles ipsius: vel, ut clarius loquar, jus quæsierat, ut successio, in casu non existentis, vel deficientis masculi, sibi, & lineæ ex ea procedenti deferretur: porrò privare filiam jure quæsito pro se, & linea sua Rex nequibat, & si antequam jus quæreretur id ex publica causa potuisset. Nam talis exclusio foret contra naturalem æquitatem, irrationalis, & sæva, ut ait Bald. leg. final. num. 3. C. qui non poss. ad liber. perven. Corn. cons. 82. num.

num.8.lib.4. Alexand. consil. 10.lib. 1. ante num. 1. Socin.Junior. consil. 1.num. 46. lib. 1. Et quamvis hi Doctores loquantur de filia, quæ à parentis hæreditate excluditur; nihilosecius in filia Majoratui succedenti, & à fortiori, Regno, idem dicendum esse videtur, ut benè arguit D.Ludovic.Molin.de Primogen.lib.3.cap. 4.num.20. Cum enim postquam Regnum, vel Majoratus ad parentem devenit, filia major, deficiente masculo, jus quæsierit, ut ad se, & ex se descendentes necessariò deveniat, nec possit ad alios remotiores, nisi in sui, & suorum defectum transire: consequens esset, ut talis exclusio foret iniqua totius illius lineæ, imò turpior, & deterior exhęredationis species; cum privaretur ab eo, non quod à patre, ut patre accipere, vel sperare posset; sed ab eo, quod ex lege sibi debetur: unde Hug.Grot.lib.2.de jure bell.cap.7.num.25.hanc exclusionem habentem exhæredationis figuram improbat. *Multo minus* (ait) *procederet exhæredatio in lineali successione, ubi nulla imitatione hæreditatis, ex dono populi Regnum pervenit ad singulos præscripto ordine*. Si ergo etiam ex delicto (quo in casu loquitur hic Author) nequit filius Regni successione à genitore privari, quod legis providentia ipsi defertur; quomodo innocens filia, & ejus soboles, quæ nisi in Adamo, priusquam nasceretur, non deliquit, poterit à genitore sibi debita successione arceri.

214. Deinde. Quia exclusio illa se ipsam destruit, & implicat, atque ideo etiam si Reges haberent facultatem

tatem invertendi, vel immutandi leges Regnorum fundamentales, per hanc exclusionem, ut potè sibi ipsi repugnantem, id minimè assequi possent. Etenim illa stabilita asseritur vi pacti. ibi. *Se asienta por pacto convencional*; & postmodum huic pacto vim legis adjiciunt, nam prosequuntur, *que Sus Mag. quieren tenga fuerza, y vigor de ley establecida en favor de sus Reynos*. Porrò si pactum, non lex; si lex, non pactum. Nam pactum est privata conventio, quæ ultra paciscentes nõ extenditur; pactum igitur illud non poterat alios præter Reges Catholicum, & Christianissimum, inter quos celebratum est, obligare. Unde ex eo Serenissimæ Infanti, & ejus proli nullum derivare poterat præjudicium. Lex e converso fertur ad omnes, omnesque obligat coactivè, præter ipsos ferentes, debetque promulgari, & si ad ea, quæ Respublica in prima constitutione statuit, contraria sit; nec ab eadem poterit acceptari; hæc omnia pacto contraria sunt; si igitur illa exclusio pacto convento statuta est; suos solum obligavit Authores, quia ex vulgari juris regula, *nemini gestum inter alios nocet*, ex alterius namque pacto, vel contractu nemo obligatur. ex leg. 3. *C. nè uxor pro marit. in fin.* Si lege; cum sine causæ cognitione, & discussione, ac Reipublicæ consensu lata sit, & contra leges fundamẽtales Regni, nullius roboris erit. Est igitur hæc exclusio per modum pacti habentis vim legis, implicans in se ipsa. Consequenterque dicendum, hanc intentam à Rege Catholico exclusionem, & quia à non habente

po-

poteſtatem in mutandi leges Regni invecta, & quia quando haberet poteſtatem, non poterat eam exercere in filiam gaudentem jam jure ad ſucceſſionem; & quia per conventionem implicatoriam ſtatuta, inutilis eſt, & nullius roboris, aut ſubſiſtentiæ. Quod amplius clarebit ex dicendis.

§. III.

Prædicta excluſio ex approbatione juramento firmata Sereniſſimæ Infantis minimè convaleſcere potuit.

215. VErum inſiſtunt adverſarii. Eſto illud pactum ut initum inter Reges Catholicum, & Chriſtianiſſimum, vim excludendi ex ſe non habeat Serenisſimam Infantem, & ejus naſcituram prolem, ut pote habentem jus quæſitum ad ſuccedendum in caſu non exiſtentis ſobolis maſculei ſexus, ex lege Regni, per quam invitabatur; accedente tamen ejuſdem Serenisſimæ Infantis approbatione, & conſenſu, juramenti vinculo firmato, convaluit, & vim obligandi nactum eſt & in ratione pacti, & ſub ratione juramenti. Nam multi contractus, & pacta jure infirmata, accedente juramento, convaleſcunt, & ſubſtinentur, non ſolum ratione religionis ex juramento, ſed ex juſtitia, per juramentum validato contractu; ut patet in alienatione fundi dotalis prohibita, *leg. Julia. de adulter.* quæ licet nu-

nudè concepta nullius sit valoris, si tamen juramento muniatur, substinetur, & mulier agere nequit ad rescisionem contractus, ex cap. *Cum contingat. de jur. jur.* & ibidem repetent. Et in pacto, quo filia, dote accepta, renuntiat legitimæ portioni, quod nudè initum irritum est; accedente verò juramento convalescit, ex cap. *Quamvis pactum*, & ex repentib. ibi. Quod vero Serenissima utraque Infans hoc pactum exclusivum sub juramento bis approbaverint, semel ante contractum conjugium, & semel post conjugium initum, prout in ipsis pactis nuptialibus claus. 6. præscribitur, constat ex ipsis Hispanis Scriptoribus; eaque propter, cum hæc exclusio approbata, & jurata formalissimæ, & plenissimæ renuntiationi æquipolleat, meritò Austriaci contendunt, Serenissimas Infantes juribus successionis pro se, & posteris in perpetuum renuntiasse, nullumque ratione illarum jus potuisse earumdem proli competere.

216. Hæc, non quia hactenus dixerint, sed quia dicere possunt (ne quæ ipsis specietenus favere videntur, dissimulasse, culpemur) ingenuè proposuimus: quod & præstabo eâdem sinceritate, quando aliquid occurrat, ex quo causa eorum vires resumere poterit; quia Catholici Regis jus tantum, tamquè clarum est, ut non indigeat furtiva obumbratione, aut subdola imminutione Juris Austriaci; imò quod de persona Trajani dicebat in suo Paneg. Plin. posterior, sed elegantior. *Tu quidem major omnibus eras; sed sine ullius di-*

diminutione major. Juri Regis nostri optimè quadrat. Igitur, ad reflexionem devenientes, non negamus, Serenissimas Infantes prædictam exclusionem probasse sub juris jurandi vinculo, ante, & post matrimonium contractum. Sed hinc ad summum colligi potest, Infantes ipsas remansisse exclusas à jure succedendi; non verò earum prolem, quæ nec consensum præstitit, nec, parentes consentiendo prædictæ pactioni, & ejus observantiam jurando, jus, quod ex legis beneficio illi suo tempore competiturum erat, occupare, aut præripere poterant: nam pactum tertio præjudiciale, pro ea parte, qua tertio præjudicat, nullo juramento roboratur ex cap. *Venientes, & cap. cum contingat. de jur. jurand. & cap. 2. eod. tit. lib. 6.* Nequit enim juramentum, quod est vinculum religionis, trahi, ut sit iniquitatis vinculum: parum ergo officit Philippo Regi Catholico, quod ejus Avia consensum illi exclusioni sub juramento accomodaverit.

217. Prætereà: pactio illa exclusiva ex defectu potestatis paciscentium nulla erat, non accedente consensu Serenissimarum Infantium; ut propterea in pactis nuptialibus approbatio sub juramento fuerit conventa. Sed Serenissimæ Infantes non potuerunt illam approbare, nisi quatenus concernebat jus proprium, non verò jus alienum filiorum, & nepotum, non ab eis in illos derivaturum, sed, supposita genesi, legis beneficio, ergo nec juramentum facere potuit, quod illa pactio convalesceret, respectu filiorum, & nepotum;

quia juramentum personale, quale istud erat, emissum ad abdicandum jus proprium, non verò hæreditarium, nullo modo transit ad hæredes, vel successores, etiam si expresè juratum fuerit pro se, & hæredibus, vel successoribus, ut expresè docent Theologi post Doctor. Angelic. 2. 2. quæst. 98. art. 2. Sotus. Sylvest. & alii, quos laudat P. Gabr. Vazq. ad eandem quæst. & art. num. 93. & ex modernis Summistis Martin. Bonacin. tom. 2. disput. 3. de restitut. sect. 2. punct. 2. num. 14. ex Jurisconsultis Bart. Bald. & alii, quos laudat, & sequitur Covarr. in cap. *Quamvis pactum*. part. 2. §. 1. nu. 7. Semper ergo illa exclusio nulla à principio, nulla fuit respectu prolis nasciture.

218. Deinde. Nam hæc pactio, & exclusiva conventio, inita fuit inter Reges Catholicum, & Christianissimum sine interventu filiarum, quas cum sua nascitura prole à successione arcere prætendebant; ut ex ipsis pactis, & clausulis exscriptis manifestum est: proptereàque earum consensus accessit ex post facto virtute approbationis, & ratificationis factarum ad tenorem clausulæ 6. *Que la Serenissima Infanta D. Maria Theresa antes de celebrar, y contraher el matrimonio por palabras de presente, haya de otorgar escritura obligandose por si, y sus successores al cumplimiento, y observancia de lo susso dicho, y de la exclusion suya, y de sus descendientes, aprobandolo todo segun como se contiene en esta Capitulacion con las clausulas necessarias, y juramento, &c.* At in hac specie, hæc ratihabitio

bitio non sanat nullitatem illius pactionis, nec per con sensum ex post facto præstitum, pactum illud vim aliquam nanciscitur adversus sobolem Serenissimarum Infantium. Etenim, licet non negemus, ratihabitionem fictione juris retrotrahi, & tantumdem operari, ac si consensus intercessisset ab initio, & dari posse ratihabitionem actus gesti in præjudicium ratumhabentis, ut tradit Barthol.*leg.*1.§.*sed etsi ff.de vi, & vi armata*, & colligitur ex *leg.si fundus*.§.1.*ff.de pignor.& leg.aliena* 20.*ff.de pignorat. act.*in princip. *& leg.mater*.3.*C.de rei vindicat*. Hæc tamen doctrina procedit duplici sub conditione: prima, quod negotium ab initio validum sit, vel in potestate ratumhabentis illud validum efficere; alioquin si ab initio nullum fuit, & in potestate ratumhabentis non est illud validare, cessat retrotractio, nec fictio aliquid potest operari, ut probatur ex *leg.observare.in fine ff. de offic. Preconsul.* ubi Barth.n.4. Innocent.Abb.& Dec. collecti ab Aug. Barbos.ad regul.10.num.4. de reg.jur.lib.6.quam opinionem ipse dicit communem sensum ex Menoch. remed.15. recuper.num.154.& 156. Secunda, quod ex ratihabitione nullum tertio sequatur præjudicium: si enim tertio sit præjudicialis, fictio retrotractionem operari non potest, pro ea saltem parte, qua præjudicium inferre nata est, ut probat expresse text.in cap. *Prote.& in cap.Quamvis.de rescript. lib.6.*& frequentissimè Scriptores,quos uberi manu congerit Tiraquell. de Primogen.qu.34.n.19. & de retract.§.1. gloss. 10. num.71.

219. Utraque conditio in casu nostro desideratur. Nam Serenissimæ Infantes non habebant potestatem excludendi à successione prolem sibi nascituram, tùm quia jure suo vocaretur; non parentum: tùm etiam, quia si Reges ipsi, obstantibus legibus, id facere nequeunt, ut verior sententia tenet; multo minus id poterant filiæ, quæ privatæ erant. Rursus, ex illa ratihabitione duplex procederet præjudicium tertii, si effectum obtineret: primum Reipublicæ, cujus interest, successionem juxta pristinas leges iri regulandam: alterum nasciture prolis, quæ ex ipsis legibus, & beneficio Reipublicæ ad successionem vocabatur. Non ergo consensus ille, & ratihabitio ex post facto accedens, illam exclusionem quoad has conditiones sanare potuit: nec juramentum validare: & quia juramentum non validat contractum jure naturali nullum, quale illud est, cui consensus deficit; & quia nullam addit vim contractui, quo jus tertii læditur, ne sit vinculum iniquitatis.

220. Accedit, quod leges Regni, quibus successio eorumdem regulatur, concernunt favorem publicum. Respublica enim ab initio constituit illud successionum systema, quod commodius, & opportunius existimavit, omnibus pensatis, ad Regni, & Regiæ Stirpis conservationem; unde eos excludere ab eo systemate, quos leges ipsæ primitivæ includunt, manifestissimè vergit contra favorem publicum, maturè in iis legibus à Republica consideratum, & respectatum,

pri-

primò & per se; licet secundariò concernat favorem privatum Regiæ prolis, cui secundario Respublica prospexit. Sed pactum militans primò & per se contra favorem publicum nullum est nullitate insanabili, etiã adjecto cataplasmate juris jurandi cujusvis privatæ personæ, quamvis illa sit, cui secundario prospectum est. Poterit utique hæc se abdicare, si voluerit; non tamen ex pacto, & juramento, Republica renuente, tenetur se abdicare; quia pacto militanti contra publicum favorem principaliter juramentum nullam vim addit, ut probat Covarrub. laudata relect. in cap. *Quamvis pactum.* 2. part. §. 1. num. 1. ex text. in cap. *Si diligenti. de for. compet. cap. cum ad Apostolic. de Regular. ex leg. jus publicum ff. de pact.* ex ea ratione ad præsens institutum concepta, quod ***non possit jus publicum facto privatorum remitti***; pro eaque sententia allegat Barthol. in *leg. Si quis pro eo. ff. de fidejus.* quem inibi sequuntur Doctores: & Ant. Abb. & alios *in cap. Cum contingat de jure jurand.* Nunquam igitur consensus, approbatio, ratificatio, & juramentum Serenissimarum Infantium potuerunt prædictam exclusionem validare, præsertim respectu prolis nasciturae: atque adeo tam inermis est hæc exclusio post dictam approbationem, ac antea.

221. Urgetur hæc consideratio ex cõmuni Theologorum doctrina asserentium, juramentum promissorium de re à tertio dependente esse conditionatum, nec transire in absolutum, nisi accedente illius tertii con-

consensu, semper enim in hoc juramento implicatur conditio, *si ille velit*: quod adeò verum est, ut voluntas illa Dei, quam commendat Apostol. 1. ad Timoth. cap. 2. erga omnes homines, perducendi, scilicet, eos ad vitam æternam, *Deus vult omnes homines salvos fieri, &c.* quia Deus ab eorum voluntate constituit dependentem adultorum salutem (non enim voluit salvare hominem sine homine) quamvis explicitè nullam conditionem præseferat, conditionem implicare, dixit D. Ambros. ibi. *Conditio latet, si accedant ad eum, si & ipsi velint*. Hinc benè deducit P. Ascan. Tambur. de præcept. Decalog. lib. 3. cap. 3. §. 6. Quod, si quis promisit sub juramento posteriori Creditori solvere, hoc juramentum non teneat, nisi prior contentus sit, habet enim implicitam conditionem, *si prior consentiat*. Si quis sub obedientia constitutus, promisit sub juramento de loco non discedere, juramentum habet implicitam conditionem, *nisi Superior alias disponat*; quia de re à Superioris voluntate dependenti. Ergo juramentum de exclusione sui, & prolis nasciturae à successione, quæ maximè pendet à Republica, ex causa legibus cohærente, habet hanc implicitam conditionem, *si Respublica approbet, consentiat: si proles non repugnet*. Ideoque illa approbatio cum subsecuto juramento non immutant exclusionem illam, nec vim illi adjiciunt.

222. Urgetur denuò, considerando, quid promisit, quid juravit utraque Serenissima Infans? promisit,

misit, ut patet ex verbis præfatis clauf.6. observantiam exclusionis prædictæ sui, & suorum descendentium, approbationemque prædictæ exclusionis sub juramento. Modo, si juramentum cadat supra approbationem, est purè assertorium, & nullam de reliquo parit obligationem: perinde enim est, ac si dicat; juro me approbare, & ratam habere hanc exclusionem: quia juramentum assertorium nullum post se vinculum relinquit, ut advertit Bonac.disp.3.de contract.punct.1.n.7. Si cadat super observantiam erit promissorium, & faciet hunc sensum juro me semper observaturam hanc exclusionem à successione factam de me, & de mea posteritate, & id juro (demus etiam hoc) pro me, & mea posteritate. Admittamus ipsam promittentem contraxisse obligationem ex virtute Religionis abstinendi à successione; utraque Infans abstinuit; quia quandiu vixere, casus succedendi non devenit.. Ad quid amplius tenebantur? ad summum ad procurandum, & operam omnem impendendum, ne sua proles in exclusionem reclamaret. Erat enim promissio de facto alieno; & qui factum alienum promittit, solum censetur promisisse, se acturum, & curaturum, ut probatur ex gloss.in cap. *Eleutherius.91.dist.* quam sequuntur Ant.Abb.& Præpos.in cap. *Ex litteris.2.de sponsalib.* Felin.in cap. *Ex rescripto.de jur. jurand.* Et est communis opinio, ut asserit Covarrub.loc.citat.part. 2.§.5.num. 2.& jurans promissionem illam consequenter jurat se acturum, & curaturum, juramentum enim non mutat promis-

missionem, ut benè advertit idem Author. ibidem. Cum ergo utraque Serenissima Infans dum vixit abstinuerit, casu non veniente; & ab obligatione agendi, & curandi, per mortem fuerit liberata; etiam si juramentum eas affecisset, jam illud juramentum functum est munere suo, vel cum morte jurantis defunctum est omni vinculo, & obligatione: atque adeò exclusio in suis viribus primigeniis, quæ nullæ sunt, uti in puris naturalibus relicta est.

223. Ulterius: cum pactum illud, seu conventio exclusiva, ut celebrata à non habentibus potestatem (quem defectum supplere non poterat consensus, & approbatio utriusque Infantis, quia concernebat favorem Reipublicæ) nunquam potuerit per juramentum utriusque vestiri, & assumere naturam synallagmatis (quod proprium est cujusvis contractus jure naturæ irriti, sive ex defectu consensus, sive ex alio defectu substantiali; nunquam enim vestitur, & actionem parit, ut docent uniformes Theolog. & Canonistæ relati à Bonacin. loc. superius allegato num. 7. in fine) esto concederemus juramentum illud titulo Religionis obligasse promittentes, & earum successores, & descendentes (quod falsissimum est) nunquam tamen tenerentur ex vi pacti exclusivi, seu ex justitia abstinere; sed solùm ex Religione, ut prædictum est. Hinc consequenter deducitur, quod juramentum illos in præsenti specie, nullatenus afficit, vel aliquo titulo obstringit: non quidem titulo justitiæ, quia nullus ex pacto nullo

jure

jure naturæ resultavit; non titulo Religionis, quia ipsi non se ingesserunt; sed à Rege, à Republica vocati sunt; aliud enim est succesionem contendere, aliud invitatum accipere; primum ad summum potuit exigere juramentum, non secundum. Et si obstinatè velis utrumque: summum dicis (sed falso) Regem successisse contra juramentum, quod tua non interest; non contra justitiam, quod maximè tua referret; ut docent clarissimè Suar.lib.2.cap.19.nu.7.de jurament.Sanch. lib.3.cap.12.num.82.Paul.Layman.lib.4.tract.3.cap. 8.num.5. Castropal. tom.3.tract. 14. disp. 2.p.9. §.7. Thomas Tamburin.lib.3.in Decalog.cap. 3.de juram. §.5.num.9.estque communis sententia: quod adeo verum est, ut etiam in casu, quo jurans, in emissione juramenti habuisset intentionem abdicandi à se facultatem validè, & justè faciendi actum contrarium; adhuc validè, & citra injustitiam actum eliceret; cum enim non à propria potestate, sed à superiori dependeat, capacem, vel incapacem reddere voluntatem, ut validè, vel invalidè velit; non posset, etiam si vellet, eam potestatem à se abdicare, ut pluribus citatis, tradit Bonacin.disp.4.de jurament.punct.6.num.2.& consequẽter pactio illa exclusiva à Serenissima Avia approbata, & juramento confirmata, etiam si juramenti vinculum reale foret, & ad hæredes transiens, nunquam Regem nostrum Catholicum constituisset injustum Monarchiæ successorem; de quo controversia præsens unicè agitatur.

224. Ad hæc: hujus approbationis, promissionis, & juramenti utriusque Serenissimæ Infantis nullitatē, & insubsistentiam evidenter probat error substantialis intercedens. Etenim, ipsa approbavit, promisit, juravit observantiam illius conventionis exclusivæ, prout continebatur in pactis nuptialibus: sed in hac conventione, prout in pactis nuptialibus continetur, sunt plura, ex quibus approbans, & jurans substantialem errorem concepisse, cognoscitur; promisit ergo, probavit, & juravit substantialiter errans. Patet hoc si ad exclusionem, ut continetur in pactis reflectamus: Quia, ut modò omittamus phaleras illas causæ publicę, utriusque Monarchiæ interesse, majoris pacis firmitatis, aliasque hujusmodi, quibus ornabatur conventio, & ex quibus facillimè simplex, & candida virguncula in errorem induci poterat. Hæc duo substantialia sunt, scilicet, quod Reges prælaudati asseruntur hanc conventionem injisse, eique vim legis pro utroque Regno donasse, alterum: alterum verò, quod sive hæc ratificatio, approbatio, & juramentum fierent, sive non; ex vi pactorum eorumdem, intelligerentur facta, semel ac matrimonium contractum esset, & eamdem vim habere, ac si prædicta Serenissima Infans expresse approbasset, ratificasset, jurasset, ut ex clausula 6. Modo: sic Serenissimæ Infantes approbarunt, ratihabuerunt, & juramento promisserunt observantiam exclusionis ipsis propositæ per modum legis ab utroque Rege pro suis Regnis respectivè statutæ: ergo credebant teneri ap-

pro-

probare, ratificare, & observare; quia bene sciebant, legibus Infantes subjacere, maximè legibus expresse pro ipsis editis, & rogatis. Rursus audierunt, exclusionem eamdem vim habituram, sive approbassent, sive non, sive jurassent, sive jurare detrectassent; ergo non sciebant, quod illa approbatio, ratificatio, & juramentum ipsis libera erant, in earum potestate physicè, & legaliter posita, & ab ea dependentia. Quis major in substantia, vel substantialior error contingere potest, quam putare necessarium actum, qui liber est: credere, quod promittat id, quod sine promissione exequi debet, cum non ita sit? Dicant quæso adversarii, si mulier fuisset adacta ad fidejubendum pro marito ex eo, quod Judex ipse assereret, teneri fidejubere, & jurare, imò seu fidejussionem emitteret, sive non; bona dotalia manere obnoxia creditori, & constante ex instrumento hoc errore, fidejuberet, promitteret, juraret, juribus suis renuntiaret; subsisteret fidejussio? teneret juramentum? haud quaquam; quia fuisset substantialiter erronea, errore antecedente dante causam contractui, & juramento: & ubi is error, imò & concomitans dumtaxat, intervenit, contractus est nullus, juramentum irritum, ut docet Suar. de juram. lib. 1. cap. 12. Sanch. in Summ. lib. 3. cap. 11. num. 42. Filliuc. tract. 25. cap. 6. q. 5. num. 153. & 154. Bonac. disp. præcitat. punct. 8. num. 3. Unde Philippus noster Rex Catholicus contra hanc approbationem, & ratificationem, juramento roboratam excipere potest, prout

apud Ovidium excipiebat Cydippe contra promissa Acontio, incautèque jurata, Sponsalia.

Consilium prudensque animi sententia jurat:
Et nisi judicii vincula nulla tenent.

225. Ex omnibus, quæ contra hanc approbationem, ratificationem, & consensum hoc §. protulimus, deducitur, eam non posse renuntiationi æquipollere. Nam in renuntiatione renuntians activè se habet quoad juris abdicationem; approbans vero, ratificans, (etiam in casu, quo foret utilis ratihabitio) & observantiam jurans exclusionis ab alio factæ, passivè: & ad summum, si utilis foret, approbatio æquipolleret renuntiationi purè personalis juris, non familiæ, nō descendentium. Sed ex hac ultima ratione, manifestissimè deducitur, prædictam approbationem, & ratificationem, etiam accedente juramento, nec umbram renuntiationis gerere potuisse, ut consideranti patebit.

§. IV.

Etiamsi approbatio jurata prædictæ exclusionis foret per æquipollentiam renuntiatio juris succedendi, non obesset Regi Catholico.

226. VIdimus §. 1. hujus partis, renuntiationem emissam à Serenissima Infante Anna, quam posteà imitata est Serenissima Maria Theresia, solum

ferri

ferri ad hæreditatem paternam, maternamque, sub qua non cadit in Regnis successio, & quando caderet, debuisse Regem nostrum Philippum succedere Carolo II. intestato, & fortiori titulo ex testamento ipsum ad successionem vocanti. Propterea ab illa renuntiatione, tanquam extra præsentem controversiam, supersedendo: quæsivimus cum adversariis in pactis nuptialibus per eosdem allegatis aliam renuntiationem juris succedendi, & nihil invenimus præter exclusionem illam, de qua in Superioribus actum est, quam nec formaliter, nec per æquipollentiam censeri debere renuntiationem ex ibidem dictis, ni nos nostra decipiat opinio, satis superque constat. Sed quia justitia Regis Catholici non his implicatur quisquiliis, morem ipsis gerere duxi, & hanc approbationem, & ratificationem juramento firmatam gratis æquipollentem renũtiationem juris succedendi deinceps dicam. De hac ergo admissa renuntiatione, jam nobis sermo est, eamque Regis nostri successionem minimè incommodare posse statuimus.

227. Enim verò, parentum renuntiatio utcumque concepta in his successionibus, quæ competunt jure sanguinis, & ex populi dono, qualis ex Superioribus constat, quod sit successio Regnorum Hispanam Monarchiam constituentium, nequit liberis, & ulterioribus descendentibus impedimento esse; quin suo tempore veniant jure suo, non jure genitoris, (cui supponimus renuntiatum) ad successionem; poterit ergo

ge-

genitor renuntians sibi obesse, quia quisque potest juri suo cedere; posset & filiis nascituris, si ante eorum ortum à sequenti in gradu successio fuisset occupata; non enim debet de una in aliam lineam migrare, sed postquam unam ingressa est, nisi ea prorsus extincta, aliam non ingreditur; minimè verò obesse poterit filiis natis, antequam sequens in gradu successionem occupasset. Hoc, quod in superioribus innuimus, hic fusius probandum. Primo quidem legali ratione, postea Doctorum suffragiis.

228. Ratio legalis est; quia parentes juri suo pro se, & posteris renuntiantes, illud posterorum jus renuntiare possunt, quod ab eis in ipsos derivaret, non, quod aliunde illis veniret: illud enim, quod aliunde venit, cum non sit in patre, nec in re, nec in spe, sub abdicatione sua cadere nequit: poterit ne renuntiatione sua genitor impedire ne transeat ad filios jus legitimæ maternæ? si hoc non à patre in filios, sed à matre derivat, quomodo impedire poterit? Qui rumpit aquæductum in proprio fundo constructum, potest quidem impedire, ne aqua, quæ per illum aquæductum decurreret, fontem influat; sed si ex alia scaturigine aqua in eumdem fontem confluebat, utique non impediret sua intercisione; quin ex alia vena aqua in fontem derivaret. Cum ergo jus successionis non transeat per patres ad filios, sed, sine intermedio canali, communicetur à lege, vel à pacto icto cum primo Rege; pater successioni renuntians impedit, ne sibi successio defera-

feratur; non tamen impedit, ne filiis transeat, qui nõ ab ipso, sed à lege habuerunt jus succedendi tàm immediatè, quàm ipse.

229. Hanc rationem confirmat singularissima illa decisio *leg. 3. de interdict. relegat. & deportat.* quam satis opportunè, ut moris habet, induxit excultissimus D. Regens Biscard. *Eum, qui Civitatem amitteret* (inquit Jurisconsultus) *nihil aliud juris adimere liberis, nisi quod ab ipso venturum esset ad eos, si intestatus in Civitate moreretur, hoc est hæreditatem ejus, &c. Quæ verò non à patre, sed à genere, à Civitate, à rerum natura tribuerentur, ea manere eis incolumia. Itaque & fratres fratribus fore legitimos hæredes, & agnatorum tutelas, & hæreditates habituros; non enim hæc patrem, sed majores eis dedisse.* Præclarè sanè. Tam perspicuam, lævissimamvè decisionem, qui cavillis deflectere vellet, nodum quæreret in scirpo.

230. Authoritas à præcipuis Jurisconsultis peti posset; sed ne molesti simus in re nimium obvia, unum transcribam plures referentem D. Ludovicum Molina. lib. 1. de Primogen. cap. 6. num. 45. *Imo* (inquit) *nec poterit primogenitus Majoratum cedere secundogenito seu subsequenti in gradu in præjudicium filiorum, ac descendentium suorum, qui nati sunt, vel etiam nasciturorum, quod probatur ex text. in cap. 1. §. hoc quoque. de success. feud. ubi gloss. & communiter Scribentes hoc notant. Jas. in leg. is potest. ff. de acquirend. hæredit. Decius. consil. 443. num. 29. & cons. 445. n. 56.*

cum

cum sequentib. Tiraquel. de Primogen. q. 26. num. 5. Burg. de Pace in dicto Proœm. num. 96. Uni alterum adjungo Ludovicum Molina, Theologum illum celeberrimum, qui disp. 624. num. 7. de just. & jure subscribit, his verbis. *Quando primogenitus renutiaret successioni in favorem secundogeniti, tunc ea renuntiatio, seu cessio successionis Majoratus ipsi præjudicaret, & succederet secundogenitus.* Sed paulo post subdit. *Cæterum si primogenitus liberos haberet tempore talis renuntiationis, vel postea illos procrearet, illa non posset illis præjudicare:* Et hoc verum est etiam si pro se, & liberis renuntiaret, ut tradunt Præposit. Loffred. & alii apud Othoman. penes eumdem Biscard. §. 7.

231. Nec adversus hanc certissimam doctrinam argumentum fieri potest ex eo, quod filia renuntians paternæ hæreditati sub juramento pro se, & posteris suis, non habeat ad paterna bona regressum. ex *cap. Quamvis pactum. de pactis,* nec etiam filii ejus, quando renuntians diem obierit extremum post patrem, in cujus favorem renuntiavit, quod tanquam certissimum tradit Covarr. relect. laudata in cap. prædict. 3. p. §. 3. n. 7. Ex hoc namque vel principio, vel exemplo colligi nequit, quod si filia renuntians successioni Regni, vel Majoratus, patri, cui renuntiavit, supervixerit, nec ipsa, nec ejus posteri possint ad successionem sive Avi, sive Avunculi admitti, ut contingit in specie nostra. Nam est longum patensque in utroque casu discrimen. In casu renuntiationis hæreditatis paternæ filia abdicat

à se

à se jus, quod ex ipsa ad filios, & posteros derivaret; unde cum filii ejus recipi ad succesionem non posint, nisi jure matris, & hæc, si patri supervivat, propter abdicationem factam recipi nequeat; consequens est, quod nec filii recipiantur, matre exclusa. *Nec mirum est* (ait præfatus insignis Jurisconsultus)*quod juramentum hoc in casu non tantum noceat, & præjudicet juranti, sed etiam ejus hæredibus: cum tamen textus hic, & in cap. cum contingat.de jur. jurand. hoc præcipuè consideraverint, nempe juramentum istud minimè in alterius præjudicium, aut detrimentum tendere. Nam hæredibus ex propria natura vis contractus, & pactionis per juramentum validæ nocet omninò: filiis autem, etiam si hæredes non sint, nocet ipsa itidem pactio, dum jure ipsius matris admitti volunt, nec ex alio possunt ad Avi hæreditatem jus habere: mater autem juramento & pacto exclusa quidem est*. Oppositum e regione accidit in succesionibus convenientibus jure sanguinis. Quia cum filii proprium jus habeant, sibi non à matre derivans, sed legis beneficio conveniens; quantumque mater renuntiet sub juramento pro se, & posteris suis, ipsis, quoad illud jus, nocere nequit; quia id facto suo eis præripere posset, quod ab ea ipsis veniret, non quod aliunde, cum hoc sub ejus potestate non sit: & juramentum si hoc jus respectaret, ut iniquum, & in tertii præjudicium emisum, nullius roboris esset. In cujus discriminis luculentiorem confirmationem reducenda in memoriam sunt egregia illa Grotii verba

 part.

part. præcedenti §. VIII. *In lineali successione patris factum nocere non potest liberis natis, quia simul atque existere cæperunt, jus proprium eis quæsitum est ex lege, sed neque nascituris, quia impedire non potest, quin ad illos quoque suo tempore jus pertineat ex populi dono.*

232. Sed opportunè poterunt Austriaci replicare. Esto mater renuntians successioni etiam sub juramento, non posit filiis nocere venientibus, & vocatis jure proprio; quia nequit impedire, quin suo tempore legis, vel Reipublicæ dono jus ipsis competat, aut communicetur: poterit tamen consentire Reipublicæ disponenti, quod filiis ex ea nascituris jus suo tempore non derivet: cum enim Respublica sit quæ jus dat primi Regis posteris, statim ac nascuntur: ipsa poterit ex causa publica illud jus præripere, si mater, cujus interest, ne posteritas sua illo jure destituatur, consentiat: Id quod idem prælaudatus Grotius statim subjunxit, & nos admisimus part. præcedenti §.X. ubi ejus verba transcripsimus. Sed in casu nostro sic se res habet: siquidem, Reges Catholici ex causa publica elicuerunt à prædictis Serenissimis Infantibus approbationem, & consensum exclusionis suæ posteritatis, quam ipsi nomine Reipublicæ statuere potuerunt, tanquam capita illius ministerialia: & ad omnem firmitatem prædicta exclusio lege à Republica lata in Comitiis Matritensibus celebratis anno 1618. statuta, & rogata fuit: Igitur in casu præsenti, ex specialibus his motivis, substineri de-

debet renuntiatio Serenissimarum Infantium pro se, & suis posteris, & descendentibus, saltem ut consensus validè præstitus Reipublicæ ad derogandum juri posterorum, lege rogata.

233. Nec vim hujus difficultatis evacuabit, si quis dicat, ex ea ad summum haberi, solum substinendam renuntiationem Serenissimæ Annæ, non verò Serenissimæ Mariæ Theresiæ, à qua proximius Rex Catholicus descendit, & cujus ratione proximius cum Carolo II. conjungitur linea, & gradu: ex eo discrimine, quod exclusio, aut renuntiatio Serenissimæ Annæ fuit in Comitiis illis lege lata admissa, & ejus posteritas exclusa; at vero renuntiatio Serenissimæ Theresiæ nunquam fuit per Rempublicam approbata, nec super ea substinenda, vel non, celebrata comitia. Non inquam hæc discriminis ratio, esto verissima sit, sufficiens est, vim illius replicæ infirmare. Quia cum utraque renuntiatio ex eisdem causis omninò facta fuerit, & eisdem ferè verbis, casus nedum est similis, sed idem, cum sola individuali differentia renuntiantium; atque adeò nova Reipublicæ lege opus non erat, sed in priori hic casus etiam continebatur, comprehensivè: in his enim, quæ sub legis, vel dispositionis ratione comprehenduntur, non fit interpretatio extensiva, sed cōprehensiva, juxta doctrinam Bald. *in leg. Quamvis.in princ. C.de fideic.* quam amplectuntur Oldrad.cons.185. Calderin. cons. 1. *ut lite pend.* & consil. 1. de regular. Tiraquell. *leg. si unquam.*verbo.*libert. C.de revocat. donat.* num. 37.

Roland.à Vall.conf.27.num.6.& 7.Ideo hic posterior casus in illa lege censeri debet expressus; quia expressum est,quod sub ratione comprehenditur, licet verbis non exprimatur.per leg. *Scio quæsitum.ff. de test. leg. si postulaverit.*§. *sed si negavit ff. ad leg.Juli. de adulter.* Bald.consil.384.lib.1. Alexand. consil. 130. num. 4. cum seq.lib.3. Decium.cons.15.num.2.& 6. Paris.cōsil.92. num.47. lib.2. & consil.66. num. 60.lib. 3. & consil.72.num.98. lib.4. Nec obstat illa materialis,& individua differentia personarum, ut casus idem dicatur, quia illa non tollit summam utriusque casus similitudinem formalem, quam leges ut identitatem considerant: unde eleganter Bald.consil. 408. *Quidam Civis.* num.8. versic. *Quapropter de necessitate*, quem laudat, & sequitur Cardin. Thusc. concl.246. num.6. lit. S. animadvertit, quod licet simile non sit idem, tamen valdè simile idem reputatur. Quod mirum in modum congruit iis, quæ Logici tradunt de identitate specifica, quæ cum relativa sit, necessario distinctionem numericam, & materialem extremorum desiderat, ut patet in Petro, & Paulo, qui sunt idem in natura humana, & specifica,non obstante distinctione materiali, & numerica. Cum ergo doctrinæ citatæ de identitate relata loquantur, alioquin nulla opus esset interpretatione; quia absolutè idem, nequit esse expressum, & omissum, comprehensum, & non comprehensum, quandoquidem contradictoria de eodem secundum idem verificari nequeunt; deducitur, quod distinctio illa

illa non obstet in casu præsenti, sed potius requiratur, ut doctrinæ illæ locum habeant.

Hæc replica, ut quod verum est, ingenuè fateamur, cominus attingit controversiæ præsentis scopum, quem cætera hucusque producta eminus duntaxat appetebant. Propterea serio in ea rejicienda incumbendum nobis est.

§. V.

Renuntiatio, vel exclusio sustinetur, quatenus ex causa legibus primævis cohærente.

234. UT præmissæ difficultati veram solutionem aptemus, revocanda in memoriam sunt, ea, quæ §. X. partis præcedentis præjecimus. Diximus ibi, Reges non posse à successione arcere eos, quos fundamentales leges invitant; posse tamen Rempublicam, cujus authoritate leges illæ latæ sunt, ipsis derogare,& quidem aliquando ex consensu parentum impedire, ne posteris nascituris jus deinceps conveniat,scilicet,quando urget causa legibus ipsis cohærens: aliquando verò, etiam parentibus renuentibus; quando videlicet causa tantopere legibus ipsis connexa est, ut casus sine violentia declarari possit ibi vel comprehensivè,vel extensivè contentus. Ex his ad institutum nostrum descendentes, fatemur, exclusionem illam utriusque Serenissimæ Infantis Annæ, & Theresiæ, ab utraque approbatam,

tam, ratificatam, & jure jurando vallatam, inniti procul dubio causæ legibus valdè cohærenti. Quia cum leges fundamentales tantumdem desiderarint conservationem proprii Imperii in posteris primi Regis Pelagii, primariò, & per se repræsentati, insuper manutentionem Regiæ Sedis intra Regni fines; ut in casu fęmineæ successionis potius amaverint Reginam indigenæ privato copulatam, quam extero potentissimo Principi conjunctam; ne successio posset ad alios, qui repræsentationem diversorum sceptri, & stemmatum præseferrent primario, quique Regiam aliò transferre fortè attentarent devenire, ut ex §. III. præcedentis partis conspicuè constat; palàm huic legi cohærebat, quod fęminæ conjungendæ Regibus Christianissimis à jure successionis pro se, & posteris absisterent, pro his casibus, in quibus ex successione præfata hæc tantòlonge prævisa incommoda, & præcavenda per Rempublicam inconvenientia emergere possent. Nullus enim dubitare potest, Reges Christianissimos, si succederent, non prælaturos nomen, stemmata, & insignia Hispana Francis, neque Parisios deserturos, ut utrique Regno jus Matrati dicerent, Francosvè hoc consensuros. Atque adeò, potuit Respublica ipsa exigere renuntiationem, vel à Rege ejus vices agente exactam, approbare, & lege firmare: vel, ut proprius loquar, exclusionem in pactum deductam per Reges ipsos, tanquam legi cohærentem lata lege declarativa roborare, etiam si Serenissimarum Infantium non accessisset approbatio, consen-

ſenſus, & juramentum, quæ tamen prudentiſsimè exacta ſunt, ne dubitari contingeret, an Reſpublica in eo caſu indiguiſſet conſenſu, vel non?

235. Ex quibus conſequenter deducitur, quàm cautè, & juridicè proceſſerint Juriſconſulti illi, qui nuptialia harum Infantium pacta digeſſerunt. Etenim primo exegerunt renuntiationem hæreditatis, ne ſuper hac aliquando inter Reges contingeret diſceptatio, & hanc ex cauſa dotis aſsignatæ conceperunt, quæ, accedente juramento, prout acceſsit, validiſsima eſt, nec filiæ ſic renuntianti ſupereſt ad paterna bona regreſſus, ex cit.cap. *Quamvis pactum & de pactis lib.6. Repetentib.* ibi. Rurſus, ut ſucceſsioni conſulerent, cui benè noverant, pactum illud renuntiativum hæreditatis haud officere, excogitarunt illam excluſionem ab eiſdem Infantibus pro ſe, & poſteris approbandam, ex cauſa incompatibilitatis utriuſque ſceptri, ſeu inconfuſæ Hiſpaniarum adminiſtrationis, tamquam legibus primitivis connexa. Quæ excluſio, genitricis accedente conſenſu, cujus intererat, nè proles ablegaretur à ſucceſſione, dubium, quæ de cauſa pullulare poſſet, jugulatum reliquit. Sed quia Reges tanto operi ſatis eſſe non judicabant, quorũ vires hæc excluſio ſine dubio ſuperabat, ut rem in tuto ponerent, Comitiorum authoritatem ſuggeſſerunt; quæ prædictam excluſionem ex cauſa aſſignata, legibus primigeniis cohærente, nedum approbarunt; ſed novæ legis firmitate roborarunt. Ut hinc appareat prædictos Juriſconſultos ſemper hæſiſſe, quo-

ad-

adusque Respublica suo munere, & facultate functa est, nec in aliis præeuntibus cautelis eorum mentes, imaginibus plenas, quiescere omnino potuisse. Si tanti viri his non se crediderunt, quid ex eis subsidii causę suæ Austriades opperiri possunt?

236. Porrò huic exclusioni causam dedisse hanc Regni Castellani naturam, vel primævam constitutionem, quæ ipsi forma est; licet non ita expressè, (quia forte primævæ legis verba non pænitus observarunt) asserunt quotquot hanc materiam versarunt. Becman. supra citatus in notitia Orbis cap. 6. de Gall. §. 2. ex duplici fonte hanc utriusque successionis incompatibilitatem hausit, & ex parte legum fundamentalium Franciæ, quæ quidquid ipsi Coronæ accedit, confundunt: quod §. III. partis superioris rejecimus, & ex natura Coronæ Hispanicæ, quæ alteri inseri, & accedere nequit, quod libenter excepimus, ut legi illi consentaneum, & cohærens: *Quod ipsum* (inquit) *in causa esse observant Politici, cur Regnum Galliæ, & Hispaniæ incompatibilia sunt, quia Hispania alii Coronæ inseri nequeat*. Clarius adhuc Salzed. lib. 2. Politic. cap. 14. *Justè ergo, ne Hispanorum antiquitas, & gloria à Gotthorum antiquitate deducta, obliviscatur subjecta Gallis, statutum fuit, abdicatumque jus succedendi Reginæ Galliarum, ejusque Successoribus*. Illustriss. D. Francisc. Ramos del Manzano dum contra Gallos hujus renuntiationis, vel exclusionis vires defendit, eamdem causam non tàm expresse allegat, quàm

ut

ut certissimam supponit; dum reddit rationem, de non exclusione aliarum Infantium, quæ Aragoniæ, Portugalliæ, Navarræ, Angliæ, Daniæ, & aliis Regnorum hæredibus nupserunt; cum nubentes Franciæ hæredibus exclusæ sint, vel renuntiare successioni jussæ. ibi. *No podia dudarse, que si la succession llegase à tocar à las Infantes, ò sus descendientes posseedores de aquellos Reynos, y Estados, havian de residir en los de España como mas principales, y proporcionados à la representacion, y regimiento de todo. Vea el Autor de este tratado si estas consideraciones se ajustan à los matrimonios con la Francia, y si la misma se conformaria, en que uniendose por hija, que no huviesse renunciado, las dos Coronas, fuesse España la Silla, y Cabeza del Imperio.* Vide sis, totum difficultatis pondus in eo esse, ne Regia Sedes ex Hispania averruncetur: ne Gotthica repræsentatio alteri postponatur. Hac eâdem ratione, ut Mariana refert in hist. lib. ult. ubi de gestis Regum Catholicorum Ferdinandi, & Isabllæ; cujus etiam meminit prælaudatus Illustr. Ramos ubi supra, proponente Ludovic. XI. Rege Christianissimo conjugium Elisabethæ majoris natu filiæ Ferdinandi, cum Duce Biturigensium Fratre suo; dum Rex Catholicus id per litteras Elisabethæ uxori renuntiasset; ab ea sapientissimè nuptiæ dispulsæ sunt. *Heredando el de Berri el Reyno de Francia, los Franceses se otorgarian principalidad, y maioria de titulo, teniendo estos Reynos por Provincia sufraganea, y que la Reyna havia*

 de

de seguir lo que las leyes de sus Reynos disponian en gloria, y acrescentamento del Cetro Real dellos. Ubi, dissertissimè supponit accessionem hujus Coronæ repugnare ejus constitutioni, & primitivæ majestati, quam jam tunc ex cunis fundatores ipsi augurabantur.

237. His præmissis, antequàm directè respondeam, scire vellem ab adversariis, an hujusmodi exclusionem, vel renuntiationem existiment legibus Hispaniæ ita cohærentem, ut etiam sine consensu Serenissimæ Infantis potuerit Respublica eam, ejusque sobolem à successione repellere, tanquam legibus ipsis contraria, vel ad hujusmodi exclusionis valorem fuerit necessaria, & Reipublicæ dispositio, & ipsius Infantis renuntiatio; quia causa esto legi consentanea, non tamen necessario ipsi connexa erat? Nam si hoc posterius dixerint; respõdebimus, quod cum renuntiatio, vel exclusio Serenissimæ Mariæ Theresiæ non fuerit authoritate Reipublicæ facta, ut ipsi nequeunt non admittere; siquidem nulla pro ipsa approbanda, validanda, aut confirmanda comitia usquàm, vel unquam coacta sunt; nullius roboris erit ex defectu potestatis, & consensus Reipublicæ, qui non intercessit. Nec obstat, quod hic casus, & ille Serenissimæ Infantis Annæ sint idem formaliter, ut hic in illa dispositione Comitiorum anni 1618. censeatur comprehensus. Nam licet doctrinæ ibidem allatæ optimæ sint, & subsistant, quando agitur de interpretatione cõprehensiva in favorabilibus; non tamen in odiosis, & juris communis correctoriis,

qualis

qualis respectu juris Hispaniæ foret hæc exclusio, semel ac cum legibus fundamentalibus necessario non connectitur. In odiosis verò, & tertiò præjudicialibus, semper est stricta interpretatio facienda, nec illa comprehensio locum habet, ut animadvertit Calderin. consil. 147. alias consil.unico. *ut lite pendente.* vers. *per prædicta.* Portol.in tract. de consort. & fideicomm. cap. 6. num. 5. Cardinal.Thusc.practicar.conclus. tom.6. conclus. 31. num.43.lit. R. præsertim cum sub hac consideratione dispositio Comitiorum legis nomen non mereatur, sed specialis providentiæ in casu emergenti. Nam ut docet Alberic: leg. *Si major.C.de legit.hæredit.* de his, quæ semel aut vix contingunt, leges non feruntur, quod probat leg. *Nam ad ea.ff.de legib.* quæ cum in secundo, & nostro casu non intervenerit, potius arguendum foret, Rempublicam noluisse pro hoc secundo casu præstare consensum; quia ex vulgari regula adversus eum, qui jus dicere potuit, & non dixit, expressius est interpretatio facienda.

228. Si verò hanc exclusionem ita existiment (prout & ego existimo) legibus fundamentalibus vehementer connexam, ut Serenissima Infans volens, nolens, potuerit cum sua sobole à successione arceri incompatibilitatis motivo; non dubito, quin hic posterior casus, qui est omnino idem cum priori in illa Comitiorũ dispositione, quæ non tam lex, quàm legis fundamentalis declaratio dicenda est, comprehendatur. Sed tunc cõprehensio ista peræquè nocere videtur Augustis-

ſimo Cæſari, ac Regi noſtro; Quia cum ſucceſſio Cæſaris non minus incompatibilis ſit cum ſucceſſione Hiſpaniæ, quam ſucceſſio hæredis Franciæ, quia (omittendo quod Imperium extraheret Sedem Regiam ex Hiſpaniis, & primariam Coronæ hujus repræſentationem; poſſunt enim reſpondere hoc eſſe temporale, & per accidens, non perpetuum; opponereque exemplum Caroli V. utrumque munus multo tempore gerentis. Hoc inquam omiſſo) Cæſar, vel ejus primogenitus eſt hæres Regnorum Hungariæ, & Bohemiæ, quæ cum Hiſpania ob nimiam diſtantiam, & regiminis difficultatem coire nequeunt, terra marique communicatione intercluſa, id quod à poſteriori dignoſcitur, ſiquidem Auguſtus non ſibi, aut primogenito ſucceſſionem, ſed ſecundogenito, contendit. Dum autem eadem incompatibilitatis ratio militat; ejus ſucceſſio in caſu præſenti æquè lege illa, vel declarativa diſpoſitione Reipublicæ afficitur. Si ergo, hoc non obſtante, contendit ſucceſſurum filium Carolum, quia in eo ceſſat incompatibilitas, cur non ſuccedet Philippus noſter, ex potiori, & meliori linea, vocatus, expetitus, in quo adhuc firmius incompatibilitas ceſſat ob pluralitatem prolis Sereniſs. Genitoris? Certè quid reſponderi poſsit non video.

239. Sed ut ad punctum, ſeu cardinem difficultatis deveniamus, fatemur hanc renuntiationem ab utraque Sereniſsima Infante Anna, & Thereſia emiſſam, à Republica publicis Comitiis approbatam, ſubſtineri debere, quatenus cauſa, ex qua elicita fuit legibus Re-

gni

gni fundamentalibus cohæret, seu, quatenus consulit, & providet illis incommodis, quæ leges ipsæ vitare voluerunt, dum Infantes hæredes, vel successuras extra Hispaniam nubere renuerunt: qualia superius descripsimus, confundendæ scilicet Monarchiæ, postponendę repræsentationis, throni avellendi. Sed ultra hunc casum legibus ipsis prævisum, nec Serenissimas renuntiantes potuisse posteris suis nocere, nec Reges ad earum posteritatem removendam potestatem habuisse; nec Rempublicam ipsam nascituris ex earum conjugiis filiis impedire juris succedendi ex legis beneficio communicationem valuisse, constantissimè assero, ex his, quæ part. præcedenti §. X. fusè demonstravimus. Unde cum in casu adeundæ successionis per decessum Caroli II. in Catholico Rege nostro Philippo, hæc omnia cessasse deprehensa sint; ad amussim legum nostrarum ipsi necessario successio delata est, renuntiatione, exclusione, & lege rogata minimè obstantibus, quæ non pro hoc casu, sed pro illo, legibus præviso, adhibita sunt. Sed quamvis hujus responsionis veritas ex citato §. satis superque liqueat, ex ipsarum renuntiationis, approbationis, ratificationis, & legis visceribus ejus robustissima confirmatio petenda est.

§. VI.

§. VI.

Renuntiatio, vel exclusio Regem nostrum non affecit, quia in eo cessavit causa ipsius renuntiationis, vel exclusionis.

240. SAtis est, ut Catholicus Rex noster Philippus non attingeretur renuntiatione, exclusione, & lege exscriptis, quod in casu, quo ipsi delata successio est, nulla subesset causa legibus fundamentalibus cohærens, ut §. præcedenti diximus; at satius est, quod etiam causa illa in renuntiatione, exclusione, & lege expressa, non substiterit: nam duplici titulo cessare renuntiationem necesse est, & quia cessat causa legibus ipsis præconcepta, & quia ex mente excludentis, & renuntiantis cessat itidem exclusio, vel renuntiatio. Porrò nihil in Jurisprudentia sive Cæsarea, sive Canonica frequentius est, quam quod cessante causa dispositionis, dispositio cesset, & evanida fiat, ex vulgari Philosophorum maxima, quod cessante causa cessat effectus, quæ ad legalia instituta translata videtur. leg. *adigere.* §. *quamvis.* ff. de jur. patr. leg. *si. pater* ff. *de hæred. instit.* itidem ad Canonica. *Cap. magnæ. in fin. de vot. & vot. redemp.* cap. *Cum cessante. de appellat.* de qua plenissimè discurrit Tiraquell. in speciali tract. *cessante causa.* & de jure primogen. qu. 40. num. 170.

Bru-

Brunor.in loc.commun. verbo.*causa*. Cardos. in praxi judic. eodem verbo. num. 2. Petr.de Ancharan. cons. 47.*pro clariori*.num. 4. ubi conceptis verbis ait, esse regulam generalem in legibus, contractibus, & aliis dispositionibus, quod cessante causa, super quam fundatur dispositio, cesset, & dispositio ipsa. Angel. consil. 346.*Titius*.qui ait, quod omnis dispositio sive legalis, sive conventionalis,sive testamentaria,sive inter vivos, per hanc regulam dirigitur, quia omnis dispositio a causa regulatur, restringitur, & ampliatur.

241. Quæ doctrina tàm certa est, ut in renuntiatione filiæ de futura hæreditate facta ex causa expressa, censuerit P. Ludovic.Molin.disput.579. de just.& jur. num. 19. deficiente causa expressa, evanescere renuntiationem, filiamque succedere ab intestato, etsi fuerit præterita, dicere posse de nullitate testamenti. *Quando filius, aut filia paternæ hæreditati cum juramento renuntiat, attendendum est maximè ad causam, in cujus favorem renuntiat, & ad quam parens renuntiationem petit. Si enim ea causa deficiat, cum renuntiatio sub conditione ejus causæ facta censeatur, eo ipso expirat renuntiatio, & obligatio ex juramento; ac proinde renuntians succedit parenti ab intestato, & parens ex testamẽto tenetur relinquere ei ut minimum suam integram portionem legitimam; alioquin filius dicere poterit testamentum nullum, in quo ita fuerit præteritus, & exhæredatus*. Sic hoc in successionibus hæreditariis locum habet, etiam respectu illius, qui se ab-

abdicavit sub juramento; quid putamus dicendum in successionibus linealibus, in quibus renuntians nedùm se privat jure proprio, & personali, sed posteritatem suám jure, quod non à renuntiante, sed à Republica, à lege, à pacto convento cum primo Rege, sibi aliquando conveniret?

242. Doctrinam prædictam intelligi de causa finali dispositionis, seu motiva ad eam eliciendam, non dubito, & in hac acceptione, seu consideratione crediderim, disceptationem non pati; sed cessare dispositionem, etiam quovis Religionis Sacramento firmatam. Et ratio id efficacissimè probat. Quia quævis dispositio vim haurit ab intentione disponentis, sed disponens non disponit, nisi intendendo finem, quia omnis intentio est de fine, & actus eliciti vel imperati ex intentione sunt propter finem: etenim secundum Philosophum omne agens secundum rationem agit propter finem; ergo, fine non existente, dispositio cessat ex defectu consensus, qui ferri nequit ultra finem. *Unde cessante* causa finali motiva dispositionis, etiam juramento roboratæ, evanescere dispositionem, quæquæ illa sit, tradunt Navarr. cap. 18. num. 66. Reginald. lib. 25. n. 65. Vazq. in opuscul. de restitut. cap. 7. dub. 10. nu. 90. Sylvest. in Summ. verb. *factum* q. 4. Rebell. lib. 28. qu. 16. Molin. tract. 7. de just. disp. 209. Less. lib. 2. de just. cap. 18. dub. 16. Beja 1. p. cas. 40. Filliuc. tract. 33. num. 178. apud Bonacin. de contract. disp. 3. punct. 4. n. 2.

243. Ex eodem principio colligunt Jurisconsulti, quod

quod verba dispositionis consideranda non sunt, sed finis, ad quem dispositio dirigitur, & ordinatur, leg.*Et si non sint.§.præveniamus.ff. de aur.& argent. legat.* quia verba sunt media, & media sunt propter finem: ut autem per hunc textum dixit Barth.*Cum quid est propter alıud, consideratur id, propter quod est. leg.3. C. de institut.& substit.leg.certum.ff.si cert.peta.* Nam causa finalis semper est prima quoad ordinem intellectus, etiam quando post dispositionem assignatur:licet enim in effectu ultimum locum teneat, semper præcedit in intentione disponentis, ut eleganter observat Bald. in leg.*Generaliter. C.de Episc.& Cleric.* quod desumpsit ex vulgari illo Philosophorum principio.*Finis est prior ordine intentionis, licet posterior ordine executionis*, ut expendit idem Bald.in leg.2. *C.locati*.num.2.Socin. consil.89.num.20.lib.4. Paris.consf.72.num.65.lib.4.

244. Ecce ineluctabile motivum successionis Regis nostri Philippi, necquidquam obstantibus renuntiatione, approbatione, juramento, exclusione, & lege rogata Comitiorum Castellæ. In omnibus enim his dispositionibus eadem semper causa, & ratio exprimitur removendi prædictas Serenissimas Infantes, & earum sobolem in perpetuum à successione nostræ Monarchiæ, scilicet, ne confundatur Monarchia Hispanica, ne Francicæ adhæreat in Provinciam redacta, ne unionis occasione inter ipsas jurgium enascatur implacabile, quænam primariam repræsentationem præferre debeat, & Regiam conservare, & si quæ alia ex prædicta

abdicavit sub juramento; quid putamus dicendum in successionibus linealibus, in quibus renuntians nedùm se privat jure proprio, & personali, sed posteritatem suàm jure, quod non à renuntiante, sed à Republica, à lege, à pacto convento cum primo Rege, sibi aliquando conveniret?

242. Doctrinam prædictam intelligi de causa finali dispositionis, seu motiva ad eam eliciendam, non dubito, & in hac acceptione, seu consideratione crediderim, disceptationem non pati; sed cessare dispositionem, etiam quovis Religionis Sacramento firmatam. Et ratio id efficacissimè probat. Quia quævis dispositio vim haurit ab intentione disponentis, sed disponens non disponit, nisi intendendo finem, quia omnis intentio est de fine, & actus eliciti vel imperati ex intentione sunt propter finem: etenim secundum Philosophum omne agens secundum rationem agit propter finem; ergò, fine non existente, dispositio cessat ex defectu consensus, qui ferri nequit ultra finem. Unde cessante causa finali motiva dispositionis, etiam juramento roboratæ, evanescere dispositionem, quæquæ illa sit, tradunt Navarr. cap. 18. num. 66. Reginald. lib. 25. n. 65. Vazq. in opuscul. de restitut. cap. 7. dub. 10. nu. 90. Sylvest. in Summ. verb. *factum* q. 4. Rebell. lib. 28. qu. 16. Molin. tract. 7. de just. disp. 209. Less. lib. 2. de just. cap. 18. dub. 16. Beja 1. p. cas. 40. Filliuc. tract. 33. num. 178. apud Bonacin. de contract. disp. 3. punct. 4. n. 2.

243. Ex eodem principio colligunt Jurisconsulti, quod

quod verba dispositionis consideranda non sunt, sed finis, ad quem dispositio dirigitur, & ordinatur. leg.*Et si non sint.§. præveniamus.ff. de aur.& argent. legat.* quia verba sunt media, & media sunt propter finem: ut autem per hunc textum dixit Barth.*Cum quid est propter alıud, consideratur id, propter quod est. leg. 3. C. de institut.& substit.leg.certum.ff.si cert.peta.* Nam causa finalis semper est prima quoad ordinem intellectus, etiam quando post dispositionem assignatur: licet enim in effectu ultimum locum teneat, semper præcedit in intentione disponentis, ut eleganter observat Bald. in leg.*Generaliter. C.de Episc. & Cleric.* quod desumpsit ex vulgari illo Philosophorum principio.*Finis est prior ordine intentionis, licet posterior ordine executionis*, ut expendit idem Bald.in leg. 2. *C.locati*.num. 2.Socin. consil.89.num. 20.lib.4. Paris.cons.72.num.65.lib.4.

244. Ecce ineluctabile motivum successionis Regis nostri Philippi, necquidquam obstantibus renunciatione, approbatione, juramento, exclusione, & lege rogata Comitiorum Castellæ. In omnibus enim his dispositionibus eadem semper causa, & ratio exprimitur removendi prædictas Serenissimas Infantes, & earum sobolem in perpetuum à successione nostræ Monarchiæ, scilicet, ne confundatur Monarchia Hispanica, ne Francicæ adhæreat in Provinciam redacta, ne unionis occasione inter ipsas jurgium enascatur implacabile, quænam primariam repræsentationem præferre debeat, & Regiam conservare, & si quæ alia ex prædicta

unione resultare possent inconvenientia. Hæc omnia cessasse in specie nostra, quis neget? Cum Hispania nacta sit Successorem Philippum V. qui eam solitariè administret, Francia reservata fratri ejus primogenito Serenissimo Ludovico, Burgundiæ Duci, cui, ne aliquis atrabile exagitatus, casum unionis ex ejus prolis defectu posset comminisci, Deus O. M. masculo germine ditavit, ex quo perpetua pullulatione lilia propaganda, speramus: Philippus ejus stemmata, imagines, nominaque Majorum gerit, præsefert, gloriam Gotthicæ Gentis suo egregio Martiali spiritu suscitat, Hispaniç Thronum, Regiamque conservat. Eccur nõ succederet? Quæ lex, quæ conventio, quæ renuntiatio, quæ approbatio exclusionis, quæ ratificatio, quod juramentum huic casui potest adaptari? Hic nihil eorum militat, quæ his causam dederunt: numquid sine causa erat refutandus? Quo jure? Qua æquitate? Prorsus nescio: sed quis sciat?

245. Enim verò; nedùm quia causa, quæ in his dispositionibus ut motiva, & finali exprimitur, cessat, prædictæ dispositiones successioni Philippi Regis nostri non officiunt; sed nec ipsi nocerent, etiam absolutè conceptæ, seu, nulla assignata causa, elicitæ; quia cum ex sola hujusmodi incompatibilitatis causa potuerit soboles nascitura Serenissimarum Infantium à successione depelli, ut satis superque patet ex dictis, perinde foret, hanc causam, & rationem sive exprimere, sive reticere; semper enim per hanc causam, seu

mo-

motivam rationem à legibus prævisam deberent hujusmodi dispositiones regulari; quia quando dispositioni una præcisa causa assignari potest, hæc sive exprimatur, sive supprimatur, semper censeri debet expressa, & eosdem producit effectus implicita, quos explicita produceret, ut observat Felin.in cap.*Translat. de constit.* num. 11. ad finem. idem in cap. *Si quando. de rescript.* num. 11. cum sequentib. Alex. consil. 24. num.44.lib.2. Dec.qui plura congerit consil. 15.n.2. & cons.64.num.6.Curt. Senior.consil.1.col.3.& consil.20.col.6. Paris.consil.16.nu. 36. lib.3. Tiraquell. in leg. *Si unquam.C.de revoc.donat.*in princip. n. 62. Francisc.Pisc.de statut. excludentib.fęmin. n.29.

246. Nec hujus argumenti efficaciam eludere adversarii poterunt, etiam si dicant, quod licet causa finalis ea sit, tamen exclusio generalis est, & pro omni eventu, sive ratio cesset, sive non, ut patet ex ejus contextu, maximè illis verbis. *Aunque digan, ò puedan decir, y pretender, que en sus personas nocorren, ni se pueden considerar las razones de la causa publica, ni otras, en que se pudo fundar esta exclusion*; in quibus præventivè excludentes vim hujus argumenti videntur exarmasse. Nam respondemus, quod cum causa, & ratio illius particularis sit, ne scilicet Monarchiæ uniantur, imò nec poterat prædicta exclusio alii inniti, ut validè fieret; quamvis verba generalissima sint, per dictam causam, & rationem restringi debent, ut prob. ex leg. *Cum pater.§.dulcissimis.ff.de legat.2. leg.si de-*

certa re. C. de transact. Garcia Girond. de privileg. seu exempt. significat. num. 277. Ozasch. Pedemont. decis.98.num.10. Surd. consil.389.num.9.& sequentib. quos allegat Barbos. tract. de axiomatib. axiomat. 73.num. 7. Quia ratio dispositionis est ipsa dispositio, cum sit veluti pars formalis illius, & ejus anima, seu spiritus, ut dixit Bald.leg. *Si quis servo.num.7. C. de furt.* Dec.in cap. *Requiris.2. de appellat.* num. 1. Tiraquell.in leg. *Si unquam.*num.38. C.de revoc.donat. Paris.consil.16.num.27.& 30.lib.3. Atque ideo fideicommissa extendi, ampliari, limitari, ac declarari ex ratione, & causa, ex qua disponens motus intelligitur ad disponendum,ex prædicta leg. *Cum pater.§.dulcissimis.*leg. *nomen debitorum,§.final.ff.de leg.3.* Tradunt Scribentes, & signanter Curt.Sen.consil. 43. col. 5. & consil.44.col.1. Socin.consil.77. num.2.lib3. Unde cum in solo unionis casu potuerit Respublica procedere ad exclusionem; non in alio: parum refert, quod verba sonent exclusionem generalem, & pro omni eventu; restringi enim debent per rationem ipsam, & causam finalem dispositionis, quæ expressa est; maximè, cum ex alia, vel ex nulla excludere causa, excludentium superet facultatem.

247. Hæc solidissima responsio, esto confirmatione non indigeat, tamen duplici reflexione summoperè roboratur. Prima: Quoniam si subsisteret adversariorum intellectus, quod scilicet proles Serenissimarum Infantim absolutè, & in omni eventu foret exclusa,

clusa, etiam causa deficiente, aut cessante, prout colligere conantur ex contextu ipsius exclusionis; sequeretur eundem contextum implicationem, & absurdum continere. Implicationem quidem, quia cum excludentes moveantur ex eo. *Y por lo que importa al estado publico, que siendo tan grandes no se junten*: postea disponerent (juxta intellectum ab adversariis intétum) quod nec Serenissima Infans, nec ejus soboles succederet, etiam si allegare possent, cessasse erga illos publicæ causæ rationem, & interesse. ibi. *Aunque digan, y puedan decir, y pretender, que en sus personas no corren, ni se puedan considerar las razones de la causa publica, ni otras, en que se pudo fundar esta exclusion*. Quæ duo, juxta contrariorum intelligentiam, hunc sensum facerent. Quod, quia multum publicæ interest causæ, nè hę duæ vastissimæ Monarchiæ uniantur; nec Serenissima Infans, nec ejus descendentes succedere possint, etiam in casu, quo nihil publicæ causæ referret, sive succederent, sive non. Siquidem, adhuc cessantibus rationibus illis, quibus exclusio innititur, publicæ utilitatis, & interesse, quo casu nihil causæ publicæ referret successio, per illos excluduntur. Plane hæc manifesta implicatio est; excluduntur, quia multum interest exclusio, etiam in casu, quo nihil interest exclusio. Cum ergo contradictio in dispositionibus maximè in eodem contextu admitti non debeat, sed posteriora prioribus concordanda; melius nos posteriora verba ex ratione, & causa dispositionis, interpretantes, dicemus, sensum esse, præ-
di-

dictam exclusionem vivere, semper ac vivit causa illa finalis, etiam si falsò, vel apparenter allegari possit, quod cessaverit; secus si verè cessaverit: aliàs enim fieret interpretatio contra jura, quæ tantumdem deferunt causæ, quod sive positivè, sive negativè, & contrariè cesset, dispositio ipsi innitens evanescat; adeò, ut si pater, causa expressa, filium exhæredaverit, cessante causa finali exhæredationis, sive positivè, sivè contrariè, aut negativè, dispositio cesset, esto causa publicam utilitatem respectet: ut ait Imol.consil.87. vers. *Præterea secundo*.laudatus à Cardinal.Thusc.conclus. 202. nu.2. & in terminis exclusionis, cessante causa exclusionis, exclusionem cessare dixit Rot.decis.463.part.1.recent. apud Farinac.& Ambros.de Perus.decis. 1. num. 5. & decis.3.num. 9. Propterea verius, & conformius ad legalem intellectum prædicti contextus,absque ulla contradictionis umbra, dicimus nos, quod ideo Philippus noster successit, tanquam soboles Serenissimæ Infantis Mariæ Theresiæ, licet fuerit exclusa, quia nihil interest quod fuerit exclusa, quando causæ publicæ nihil interest ejus exclusio.

248. Secundò,quod prædictus contextus, si intelligendus esset, prout adversarii contendunt, contineret absurdum; non minus certum est: nam si in casu, quo causa publica illius renuntiationis, vel exclusionis cessaret, non cessaret exclusio;sequeretur, quod Serenissima Infans, & ejus soboles excluderetur in eo casu sine causa; siquidem excluduntur in eo casu, in quo nulla

causa

causa militat, vel omnis causa cessat: profectò excludere filiam à tali successione, ad quam cum prole sua per leges invitatur sine causa, irrationabile est, barbarum est, absurdum est; quod nec inter Scithas tolerandum foret; quanto minus inter Christianos? Præterea legibus fundamentalibus derogare posse Regem, vel Rempublicam sine causa, quis unquam somniavit? cum nec ipsi legislatores sine causa legibus suis licitè derogent, nec justè, postquam ex eis jus tertio quæsitum est; quid ergo absurdius excogitari potest, quàm quod Hispani leges fundamentales sui Regni temerare, invertere, vel abrogare sine causa tentaverint? Cum ergo intellectus absurdus in legum, vel dispositionum interpretatione pro viribus vitari debeat, ex leg. *Nam absurdum. ff. de bon. damnat. leg. observare. §. finali. ff. de offic. Proconf. cap. Quemadmodum. de jure jurand. cap. Dudum. de prebend.* lib. 6. Valas. consil. 174. num. 11. Garcia Girond. de privileg. explicat. num. 284. intellectus ille violentus, & crudelis, quem prædictæ dispositioni assuere volunt Austriaci, rejectandus est; & tenēdus, quem nos ex visceribus jurisprudentiæ, & causa ibidem expressa eruimus, ut æquitati naturali, finique disponentium consentaneus.

249. Quod si adhuc obstinatè replicare pergant: prædictam exclusionem, vel renuntiationem non cessasse; quia licet cessaverit causa in particulari, non cessaverit in communi; vel, & fortè melius, quod causa non cessaverit adæquatè; quia motivum prædictæ exclu-

clusionis non fuit solùm præcavere unionem utriusque Monarchiæ; sed unionis occasiones, & pericula, ibi: *Y porque queden prevenidas las ocasiones, que podria haber en juntarse*; quæ in posteritate prædictarum Serenissimarum Infantium, perpetuò vivent; siquidem, attenta rerum humanarum vicissitudine, & lege Salica Franciæ, semper obtingere potest successio illius Regni soboli masculæ, sicut obtigit Henrico IV., qui, agnatione inspecta, solum vigesimo secundo gradu decessorem suum contingebat, teste Briet.in annalib. ad ann.Christi 1589. Quando verò causa finalis legis, vel dispositionis non cessat adæquatè, lex vel dispositio nō cessat; sed solum quando adæquatè, & omnino cessat. ex leg. *In omni.* ubi Barthol.*ff. de adopt. leg. quod dictum.ff.de pact.cap. Etsi Christus.de jur. jurand.* Everard. in Topic. legalib. loc. 85. Tiraquell. citato tract. *Cessante causa.*part. 1. num. 11. Berthazol. in repetit. leg. *Si quis major.*num. 263. *C.de transact.* Surd. consil. 375.num. 24. & alii plures.

250. Adhuc hoc recursu nihil evincunt; quia in specie nostra causa prædictæ dispositionis, vel exclusionis, omninò & adæquatè cessavit: ea enim duntaxat fuit ad unionem vitandam, qua vitata, vitantur unionis pericula; nam si semel stabilitur, quod utriusque Monarchiæ nequeat esse unus, idemque Successor; omne removetur, de jure, unionis periculum; semper enim respectu Successoris Franciæ viget exclusio, & succedet Hispaniæ sequens in gradu, sive Francus, sive Au-

Austriacus, sive Sabaudus: si verò contrarii velint, per prædictam dispositionem præcaveri etiam pericula unionis de facto: hoc ridiculum est, nullique humanæ providentiæ concessum; cum semper Reges Franciæ, si leges non revererentur, jure, vel injuria; imò quivis alius Princeps, id possent attentare. Sed ne voluntariè loqui videamur, hoc eruimus ex ipsis verbis à contrariis productis. *Y porque queden prevenidas las ocasiones, que podria haver en juntarse*: Hic non præveniũt disponentes occasiones unionis, sed occasiones jurgii, dissidii, & implacabilis altercationis, quæ ex unione nascituræ credebantur; alioquin juxta Hispani dialecti rigorem, quem observasse statuentes in tam solemni, & publica dispositione, nequit in dubium revocari, nõ dixissent. *Las ocasiones que podria haber en juntarse*, sed *Las ocasiones, que podria haver de juntarse*. Nam cum particula *en* latinè *in*. regat ablativum, perinde est prævenire occasiones, quę possẽt occurrere, *en juntarse*, ac prævenire occasiones, quæ possẽt occurrere in unione: e converso, cum particula *de* regat genitivum, faceret proprium sensum, scilicet, *utque præcaveantur occasiones unionis*; quod cuique Hispanicè mediocriter loquenti obvium, & palmarium est: nisi contrarii velint, viris illis sine dubio doctissimis, adhuc in patrio idiomate solœcum impingere, quod sine temeritate fieri nequit.

251. **Sed ex his**, quæ contrarii urgent, inferre contra eos posset, si vera essent; non Cæsarem, non

Archiducem, non Philippum succesfores esse, quod ipsi enixè negabunt; sed filiam Serenissimi Ducis Aurelianensis natu majorem; quia si motivum cessat adæquatè, quando cessat unio, & unionis periculum; cum fęminæ Regii Sanguinis Franciæ nequeant in Francia succedere, Salica lege obstante; in fęminis, cessaret unio, & omne remotissimum unionis periculum: cumque fęminæ illius stipitis descendant à Serenissima Infante Anna, quę major natu erat Serenissima Infante Maria, à qua descendit Augustissimus Cæsar; ipsæ ad regulas Regni præferri deberent. Videant contrarii, quo eos abducant sua præjudicia! Certum igitur est, quod adæquata causa dispositionis fuerit, in perpetuum unionem utriusque Monarchiæ præpedire; qua præpedita, ridiculum foret, velle etiam omne remotum unionis de facto periculum præcavere, quia moraliter impossibile. Deus enim, qui pericula proxima peccandi fugere jubet; remota præcavere non jubet; quia humanæ fragilitati hoc impossibile est; imo afferret hæc præcautio majora pericula, quia opus esset, quod homines se ipsos mutilarent, oculos eruerent, aures obserarent; ex quovis enim sensu plurima remota emergunt peccandi pericula; & volunt Austriaci, quod Hispani tantumdem præsumerent in gratiam suæ domus, ut tentaverint, remotissima pericula unionis de facto utriusque Monarchiæ sua dispositione præcavere: temerarii forent, satis illis fuit radici admovere securim, & unionem repugnantem esse, declarare.

252. Cæ-

252. Cæterum verba prædicta fore intelligenda de occasionibus, quæ ex unione enasci possent, jurgii, & contentionis inter duas Monarchias, non verò de occasionibus unionis vitandis, ex subsequentibus verbis clarius adhuc deprômitur. *Y queden prevenidas las ocasiones, que podria haver en juntarse, y en razon de la ygualdad, y conveniencia, que se pretende*; quæ verba procul dubio eo referenda sunt, ut scilicet per illam exclusionem prævenirentur occasiones rixarum, & contentionum, quæ necessariò inter utramque gentem excitaret æqualitas, imò superioritas, quam utraque gens affectaret; neutra enim alteri cedere vellet, aut alteri adhærere: sed quævis contenderet Regem debere præferre suas imagines, stemmata, prænomina, & repræsentationem, & in propria Curia residere; non de alia jura recipere; quod adeo clarum est, ut dubitari nequeat. Et tamen Austriaci prætendunt, illam æqualitatem fuisse intentam ab Hispanis, tanquam causam exclusionis: videlicet Reginas illas Serenissimas fuisse exclusas, ut sicut fęminæ Regii Sanguinis Franciæ non succedunt ad sceptrum, ita nec fęminæ Hispanæ succederent. Sed quis non videat hunc sensum esse improprium, violentum, & falsum. Etenim in hoc nulla est inæqualitas, sed utraque gens à principio ea de successione instituta amplexa est, quæ, omnibus pensatis, opportuniora existimavit: nec minus de publica Hispanorum re est, quod pateat fęminis aditus ad successionem; quàm possit esse de re Francorum lex Salica.

Quid igitur hæc exclusio utilitatis importaret, ut Hispani leges fundamentales contra jus fasque inverterent, ad eam introducendam? Et si hoc contenderunt; æqualitatem minimè assecuti sunt, quando quidem Regiæ Feminæ Franciæ, nec domi, nec foris nuptæ succedunt, Feminæ verò Hispaniæ, saltem extra Franciam uxoratæ, capaces successionis remanserunt. Ubi est ergo illa æqualitas quoad successionem? Verus, & obvius sensus est, quod quia multum intererat utriusque Monarchiæ, ne copularentur, ut prævenirentur occasiones simultatis,& discordiæ,quæ ex unione sine dubio nascerentur, exclusionem illam statuerunt,cujus nulla alia causa motiva fuit præter publicam utilitatem, quæ illam unionem respuebat. Unde ea cessante, cessat adæquatè causa finalis motiva exclusionis prædictæ.

253. Altera reflexio, quæ principalem illam responsionem confirmat: nimirum, quod quamvis exclusio generalissima sit, debet tamen restringi ex speciali causa, & ratione expressa, cui innititur, est solemnissima declaratio Caroli II. facta in ultimis tabulis, sub quibus diem obiit extremum. Hic piissimus Rex, re consulta cum insignioribus Hispaniarum hominibus, sive doctrinam, sive pietatem spectes, qui Regi Austriaci stipitis, & agnationis, nisi veritate perculsi, contra Austriacos minimè consuluissent; prædictam renuntiationem, vel exclusionem hoc sensu interpretatus est; ut teneret quidem in illis, qui utriusque

suc-

successionis simultatem facerent; non in his, qui seorsim in Hispania succedere possunt. Si dixeris, Reges nec posse invertere, nec declarare leges fundamentales; consentiam: sed declarationes legum fundamentalium factas à Republica, ubi opus est, poterunt declarare. Renuis? Gaudeo: sic enim fateris, quod tanta harum legum vis sit, ut Reges nec declarare eas possint, sed hoc munus Reipublicæ est: nec etiam Reipublicæ declarationes, qualis est illa exclusio, ubi opus est, explicare. Sed non negabis, Rempublicam posse: alioquin, quod, aut unde, Austriacis jus? At Respublica Hispana id patentissimè declaravit facto ipso, Philippum vocando, gratulationibus excipiendo, acclamationibns comitando, jure jurando se se ejus Imperio obstringendo, ipsum impensè amando, promptè obediendo, & sibilis Austriacorum aures fortissimè obserando. Quis ergo dubitandi amplius locus superest? Non video.

§. VII.

Casus præsentis successionis Regis nostri Philippi est æquivalenter exceptus in exclusionis contextu.

254. Nihilominus contendere possunt ex alio principio Austriaci subsistentiam præfatæ renuntiationis, sive exclusionis: Nimirum.

rum. In ipsa excluduntur duo casus, in quibus Serenissimæ Infantes, ea non obstante, possunt ad successionem venire. Hi sunt. Si relictæ sine prole à Regibus Christianissimis, qui eas duxerunt, Hispanias remigrarent, prior; posterior, si ex publica utilitate, approbatione, & consensu Regis Genitoris, vel Fratris, ad secundas nuptias transirent, ut habetur in calce clausulæ quintæ præcitatæ, his verbis. *Pero juntamente se declara expressamente, que, si lo que Dios no quiera, ni permita, acaeciere en viudar la Serenissima Infanta sin hijos deste matrimonio, que en tal caso quede libre de la exclusion, que queda dicha, y capaz de los derechos de poder succeder, en todo lo que le pueda pertenecer, en dos casos. El uno si quedando viuda deste matrimonio, y sin hijos se viniesse à España. El otro, si por conveniencias del bien publico, y justas consideraciones, se casasse con voluntad del Rey Catholico su padre, y del Principe de las Españas su hermano.* Hæc duorum casuum exceptio argumento est, disponentes voluisse, quod in nullo alio prædictæ Serenissimæ exclusæ, vel earum posteritas, succedere possent; tùm, quia ex vulgari juris regula, exceptio firmat regulam in casib us nō exceptis. Leg. *Cum Prætor ff. de jud.* leg. *Cum maritus. C. de procurator.* Leg. *Quamvis. C. de pignor.* tum etiam, quia sicut illa duorum casuum exceptio expressa fuit à disponentibus post generalem illam exclusionem; si aliis casibus prædictis Serenissimis Infantibus, & earum posteritati aperiendus foret succesionis

a di-

aditus; illos utique expressissent, sicut istos expresserũt. Cum ergo eos suppreserint, & silentio obvolutos reliquerint, videtur indubium, quod de eorum mente succedere non possint.

255. Huic difficultati facilis est responsio ex superius dictis, & disputatis; scilicet, in his casibus capaces esse successionis Serenissimas Infantes, & earum posteritatem, non quia excepti sunt, sed quia excepti sunt ex cessatione causæ finalis prædictæ exclusionis; in illis enim, sive exciperentur, sive non, semper succedere deberent, quia earum successio non dependet à voluntate Regum, vel Reipublicæ, quibus integrum non est leges successiones invertere; sed à voluntate Reipublicæ regulata causa legibus fundamentalibus connexa, qualis est causa assignata in his exclusionibus, quæ cum in illis duobus casibus manifestè cesset, volente nolente Republica, præfatæ Serenissimæ exclusæ successioni, de jure loquendo, admittendæ essent. In aliis vero casibus his similibus, vel in quibus eadem ratio militat, admittendæ etiam sunt, etiam si excepti non reperiantur, quia cum in ipsis ex æquo cesset causa finalis exclusionis, nullo jure poterunt à successione repelli. Reges enim, vel Respublicæ nequeunt ex quavis causa, vel potius, ex nulla possunt successionem cognaticam à principio introductam, agnaticam facere, vel feminas pro nutu suo repellere, sed quibus legibus à principio regulata successio est; eisdem, eadem Republica, & Regno durante, semper regulanda est.

266. Ve-

256. Verum, licet hæc responsio certissima sit, & prorsus difficultatem enervet; Nos contendimus ex eisdem casibus expressis probare, successionem in casu nostro competere Serenissimo Regi nostro Philippo; ut hic casus successionis dici debeat æquivalenter exceptus in illis, quos dispositio expressè excepit. Et quidem maximo fundamento. Nam licet disponentes hos solum duos casus expresserint, non ideo reliquos ejusdem omnino rationis rejecerunt, sed hos uti magis obvios, & veluti aliorum exempla protulerunt: quod & ex ipso contextu, & legali ratiocinio demonstratur. Ex contextu demonstratur positivè, ex illa particula: *Se declara expressamente*, in qua duo habemus: primum, quod hæc exceptio sit exclusionis illius generalis declaratio; non authoritativa limitatio. Porrò si declarant disponentes, exclusionem prædictam Serenissimas Infantes in subjectis casibus minimè afficere; ideo fuit, quia ratio, cui innitebatur exclusio, in præfatis casibus non vigebat; quia dispositiones ex causa finali declarantur, & ratione ipsa, cui innituntur; ut supra vidimus: unde in quovis casu id ipsum contingat, similis declaratio locum habet. Secundum, quod sit declaratio expressa, *expressamente*, illorum duorum casuum; sed implicita omnium illorum, in quibus eadem ratio militet; ut quid enim dicerent, quod expressè declarabant, nisi ut innuerent, illam declarationem nō officere declarationi aliorum casuum consimilium, qui in his explicitè declaratis, implicitè declarabantur:

alio-

alioquin illud adverbium frustraneum esset, nam si ipsa declaratio illorum casuum est exercitè expressa declaratio, otiosum esset adjungere illam expressionem signatam, quæ nihil importaret. Videtur ergo certum, quod illi duo casus expressi sint ut exempla, tanquam magis obvia, & quæ facilius contingere poterant.

257. Ratio legalis est, quam superius pro contrariis produximus, contendentibus, legem comitiorum Matritensium rogatam ad firmandam exclusionem Serenissimæ Infantis Annæ, extendendam rationem identitatis ad exclusionem Serenissimæ Infantis Mariæ Theresiæ; videlicet, quod de expresso, & non expresso eadem est facienda interpretatio, quando utriusque est eadem ratio; quia expressum censetur, quod sub ratione comprehenditur, ex ibi cit. leg. *Scio quæsitum.de testib.* leg. *Si postulaverit.§.sed si negavit. ff.ad leg.Jul.de adulter.* & Doctoribus ibidem laudatis: quia ubi militat eadem prorsus ratio, fit interpretatio comprehensiva, ut ibidem probatum est, quamquàm dispositionis verba aliud sonent. In omni enim dispositione sive juris, sive hominis, sive testamentaria, sive inter vivos, ratio potius, quam verba, æstimanda est. leg. *Scire.§.aliud.ff.de excusat. tutor.* Menoch. consil. 998.num.11. Fusar.de subst. q. 480. num. 40. quia mens disponentium per rationem comprehensa præponderat verbis ipsis, ut docet Marian. Sozin. consil. 35. *circa prædictam.* vers. *& quamvis.* lib. 1. quem lau-

 dat

dat Cardinal.Thusc.conc.31.num.6. lit.R.& sanè, rectissimè, nam verba debent servire intentioni, non intentio verbis. *leg.cum pater.§.donatum.ff.de leg.2.leg. si uno.ff.de locat.*& ibi Barthol.*leg. ubi ita donatur.ff. de donat.caus.mort.cap.constitutus.de religios. domib. cap.solitę.de majorit.& obed.* Corn.cons.239.num.5. lib.1.&consil.138.num.3.lib.3.Menoch.de præsump. lib.3.præsumpt.104.num.28. Mascard.de probation. concl.1131.num.20.Gonzales ad regul.8. Cancellar. gloss.84.à num.53. Cardin.Seraphin.decis.121.n.11. & alii innumeri; ut censeri debeat communis intellectus Jurisconsultorum. Sed eadem ratio militat in casu successionis Regis nostri Philippi, ac in casibus expressè exceptis in dispositione illa exclusiva: quia eatenus Serenissimis Infantibus in illis duobus casibus præservabatur jus succedendi,quia ex earum successione nulla sequebatur unio,aut accessioHispanę Coronæ ad Francã;quę ratio in casu nostro ęqualiter currit,cùm non Successor Francicæ Coronæ Hispanis imperat, sed Philippus, qui solitariè, inconfusè, & ex propria Regia Hispanias, & adnexas ditiones administrat, ut omnes vident: casus igitur iste successionis nedùm non fuit in illa generali exclusione comprehensus; verùm etiam in illis duobus casibus expressè exceptis fuit expressus exemplariter, & ob identitatem rationis æquivalenter exceptus.

258. Idcirco non obstat, quod contrarii allegãt ex vulgari regula de exceptionibus; quia etsi regula illa

illa verissima sit; attamen non militat in specie nostra, quia ut advertit Thom.de Thomas.in Florib. leg. reg. 148. & Menoch.consil.197. num.83.vers. *non obstat primò.* Non tenet regula, quando in excepto, & non excepto, seu in incluso, & excluso est eadem omnino ratio; cum ergo in casu nostro, licet verbis non excepto à generali dispositione, vel non incluso positivè in illa exceptione, eadem sit, & vigeat ratio, quæ in illis duobus ab exclusione exceptis, vel in exceptione inclusis; inclusus exemplariter censetur in exceptione, & exceptus ab exclusione in, & cum illis duobus, quos contrarii nobis opposuerunt. Unde optimè dixerunt Dec.consil.11.num.17.& consil. 99. col. final. vers. *Tertio non obstat*, Alexand.consil.75. *videtur.* num.3.& 4. Quod quando exceptum, & non exceptum, inclusum, & non inclusum eadem ratione regulantur, non solum exceptio unius non est inclusio alterius; vel unius inclusio alterius exceptio, sed e contrario unius inclusio est inclusio alterius, & exceptio unius alterius exceptio, atque adeo exceptio duorum casuum ab illa dispositione, est exceptio casus nostri, & iuclusio illorum in exceptioue, est casus successionis Catholici Regis inclusio.

259. Et quidem (ni velimus illam exclusionem animosam credere, & potius in odium Regiæ Franciæ stirpis conceptam, quàm ad majestatem Monarchiæ tuendam excogitatam, quo casu ut irrationabilem, odiosam, invidam, & peccaminosam, quocum-

que vinculo non obstante, ruere necesse est, etiam si ad eam edendam potestate potiretur Respublica) quàm plures casus, præter exceptos admittere tenemur, in quibus illa exclusio substineri non posset. Unus ex his ille est, quem anteà insinuavimus: nempe. Si Serenissima Infans Anna, vel Maria Theresia ex conjugio inito cum Regibus Christianissimis Ludovico XIII. & XIV. respectivè relicta fuisset cum sobole fęminea, quam secùm duceret in Hispanias; quæro, an deficientibus masculis ejusdem gradus, & lineæ admittenda foret ad successionem? Non enim in successione ipsius vel filiæ considerari posset causa illa unionis utriusque Monarchiæ, quia fęminæ ad Coronam Franciæ non succedunt; imo nec unionis periculum, prout dicunt Austriaci: ex quo ergo capite foret, vel mater, vel filia repellenda? nisi dixeris, quia mater nupsit Regi Franciæ, & filia ex Franco genere sata, nullam verosimilem rationem exclusionis afferes: An hæc sit verisimilis? consideret pius Lector. Et tamen hic casus non est exceptus; non ergo omnes casus expresśè excepti sunt, in quibus non viget exclusio.

260. E contrario, nec omnes, in quibus exclusio vim habet. Si enim Serenissima Archiducissa Maria Antonia nupsisset Serenissimo Delphino, nullamque ex hoc conjugio prolem reliquisset præter unum masculum, quantumque nec ejus Genitrix, nec ipse in illa exclusione expresśè comprehensi inveniantur; crediderim Augustissimum Cæsarem ejus successionem im-

pu-

pugnaturum, ex eo motivo, quod licet non renuntiasset, non fuisset exclusa; nihilo secius casus hic idem est cum illis, pro quibus exclusio facta est. Si ergo exclusio ex identitate rationis tunc fuisset extendenda; cur exceptio ibidem facta ex rationis identitate casum nostrum non comprehendet? Sed si ex hujusmodi possibili cōjugio Serenissimus Delphinus tres filios procreasset, prout procreavit ex Serenissima Conjuge; Cæsar verò nullam aliam prolem suscepisset; credemus, in eo eventu consensurum, quod successio deferretur ad Serenissimum Ducem Sabaudiæ, potius quam ad nepotem secundogenitum? Quis credere poterit? & tamen casus foret idem omninò cum præsenti. Seponat Augustissimus Cæsar suæ prolis nimium amorem, quo præoccupatus hos possibiles eventus, prout par est, non considerat; & facilè sibi persuadeat, spero, successionem Catholici Regis ex jure, non ex injuria Austriacæ Domus processisse.

§. VIII.

Quod Summ. Rom. Pontifex probaverit articulos pacis Pyrenæi, non obstat successioni Catholici Regis Philippi.

261. CUm Austriaci à civili auctoritate nihil suę causæ præsidii conciliare possint; ad Sacram confugiunt: & Apostolicam Majestatem cum Re-

Regia Franciæ, & Hispaniæ committere pertentant. Insistunt namque, & adhuc enituntur, præfatam exclusionem respectu prolis Serenissimarum Infantium, gloriosissimè posteà in Francia regnantium, absolutè, in omni eventu, & absque ulla interpretatione fore substinendam ex novo sacro motivo; videlicet, quod tractatus illi nuptiales attinebant ad pacis inter Reges Christianissimum, & Catholicum conventiones, quæ publicam causam respectabant, non horum duntaxat Regnorum, sed totius Europæ; cum per illas universę Europæ, in partes distractæ, pax reddita sit. Et ideo approbatæ à Summis Pontificibus Paulo V. & Alexandro VII. universæ Ecclesiæ præsidentibus, quorum, nisi sacra authoritas temeretur, ab illis fęderibus resilire, non licet. Quanti autem ponderis interventus Pontificiæ Authoritatis in fęderibus pacis publicæ sit, nullus ignorat; eo enim pacem reprobante, fęderum, quantalibet religione firmatorum, vis evanescit; juramenta irritantur; & tanquàm si nihil esset actum, bellum ex eâdem causa innovare licet: e contrario accedente Apostolicæ Sedis approbatione, pacta sancita sanctaque sunt, nec retractari amplius possunt; aut bellum, nisi ex superveniente causa, honestari. Si igitur illa exclusio, ratificatio, juramentum à Sede Apostolica probante ultimam nacta sunt firmitatem; quo jure poterit Rex Catholicus in prædictam exclusionem insurgere?

262. Ad pacta nuptialia quod attinet Serenissimę

In-

Infantis Annæ Mauritiæ, & Ludovici XIII. Regis Christianissimi, falluntur Austriaci, si ea ad conventiones pacis utriusque Coronæ referre velint. Nam cum anno 1612. quo hæc fœdera conventa fuere, nullum inter Francos, Hispanosque bellum fuerit, imò nec a tempore pacis factæ cum Henrico IV. Rege Christianissimo à Philippo II. sedente Clemente VIII. & suo nomine agente Cardinale Medicæo (qui posteà ad Cathedram Apostolicam evectus, Leo XI. dictus est) & ad finem eam stabiliendi Legato à latere misso, ullum inter has duas Monarchias bellum suscitatum fuerit; palàm est hujusmodi nuptialia pacta ex causa restituendæ pacis Europę icta non fuisse. Et quamquàm Paul.V. fęlicis record. illa conjugia Regis Franci cum Hispana Anna, & Principis Philippi cum Francica Elisabetha promoverit, & probaverit, tanquam pristinæ pacis vinculum recentius; tamen hæc approbatio non respectavit articulos illos nuptiarum, quorum tenor Ecclesiæ non intererat, sed effectum illorum, scilicet, conjugium, quod ut novus nexus horum Regnorum, a quibus pax Europæ maximè pendebat, Summo Pontifici universali Pastori, non placere non poterat. Atque adeò Pontificia hujus matrimonialis tractatus approbatio, aut promotio ejus articulos, pacta, & conditiones in suo nativo, & proprio vigore reliquit, nec ad firmiorem, aut altiorem dignitatem evexit.

263. Pacta verò, & conventiones nuptiales Serenissimæ Mariæ Theresiæ cum Rege Christianissimo

Lu-

Ludovico XIV. nunc fœliciter regnante, simul cum tractatu pacis Pyrenæi constituta sunt; sed sub diverso, & peculiari tractatu, ut ex Brachel.observavit insignis vir literaturæ, Spectabilis Consiliarius Amatus Danio, in suo tractatu solidissimo pro successione Regis Catholici: qui producit verba præfati Authoris tom.4. histor. ubi exscribit cap. 33. prædicti pacis tractatus. *Ut pax hæc, confœderatio, bonaque correspondentia, quem admodum in votis habent, tanto sit magis firma, durabilis, minusque dissolubilis, nominati ante duo præcipui Ministri Cardinalis Dux Marchio, & Comes Dux vigore specialis potestatis hunc in finem ab ambobus Dominis Regibus sibi datæ, horum nomine, Regis Christianissimi cum Serenissima Infante Domina Maria Theresia, Regis Catholici filia natu majore, matrimonium pacti sunt, & stabilierunt, eodemque ipso die, quo præsentes datæ, peculiarem, ad quem ob conditiones reciprocas dicti matrimonii, illudque celebrandi tempus, quivis remittitur, tractatum concluserunt, & subsignarunt. Tractatus hic peculiaris, matrimoniique capitulatio, ejusdem ac præsens pacis tractatus, cum sit pars ejus præcipua, & dignissima, simulque maximum, ac pretiosissimum certæ ejus durationis pignus, roboris, ac vigoris habeantur.* Quamvis autem hic tractatus peculiaris conjugii à prædictis Procuratoribus, seu,ut dicunt,Plenipotentiariis,quoad vigorem, & robur relatus sit ad pacis articulos; non tamen statim sequitur, quod quævis ejus conditio ad

pa-

pacis articulos pertineat; & quando pertineret; quod Summus Pontifex approbans fędera pacis, approbet, muniat, & sua authoritate confirmet quæcumque in dicto peculiari tractatu contenta, ut videntur contendere adversarii.

264. Non sequitur primum: quia prædictus tractatus conclusus fuit inter duos illos magnos Ministros Regnorum Cardinalem Mazzarinum, Franciæ, & Ludovicum de Haro Comitem Ducem Olivarensem, Hispaniæ, tanquam Procuratores suorum Regum, ut ex transcriptis verbis apparet; nullus autem intervenit Sponsæ mandatum; poterant ergo hi duo Ministri tractatum illum partem tractatus pacis declarare, prout pendebat à prædictis Regibus, non prout pendebat à Sponsa, seu prout unus promisit, quantum in ipso erat, dare; alter accipere Serenissimam Infantem in uxorem, ut sub conditione hujus matrimonii, & non aliàs pax statuta esse intelligeretur: quoad cætera verò, quæ desiderabant Sponsæ consensum, nec absolutè promittere potuerunt, nec ad pacis tractatum annectere. Et quidem ad finem intentum, scilicet, quod pax coalesceret, conjugium ipsum desiderabatur, sive his, sive illis conditionibus fieret; non hæ determinatæ conditiones, aut conventiones; & ideo tractatus ille ad pacem attinuit, prout contractum fuit simpliciter; non prout his, vel illis pactis contractum: Subindeque capitulis conjugii nihil fuit cum capitulis pacis commune. Exemplo res claratur. Conjugium fuit conven-

tum sub conditione dotis quingentorum mille aureorum; hæc tamen conditio ad conditiones pacis universalis minimè pertinet; nec ex non solutione pacta pacis infirmarentur; & quamquàm posset Rex Christianissimus armis agere ad dotis solutionem, si denegaretur; non tamen bellum præcedens renovari censendum foret, rescisso prorsus contractu; sed bellum ex nova causa superveniens, perinde ac si post pacem stabilitam, matrimonium conventum fuisset; quo casu ex denegatione dotis novum bellum posset supervenire; quæ ex ipsis verbis transcriptis colliguntur; in quibus matrimonium censetur pertinere ad pacem, tanquam pars præcipua, quia sine illo pax evanesceret, & tanquam pretiosissimum pignus ejus durationis, quod propriè convenit sanguinis, & affectuum conjunctioni, non illis, vel his qualitatibus, sub quibus celebratum, aut conventum fuit; quorum aliquæ, præsertim exclusio, aut renuntiatio, potius occasio, & seminarium bellorum, quam certissimum durationis ejus pignus dici deberent.

265. Sed quamvis singulæ tractatus conjugalis conditiones censeri deberent spectare ad pacis articulos, tanquam eorum partes, & conditiones, nihilo seciùs non sequeretur alterum, videlicet, quod Summus Pontifex approbans articulos pacis, approbet singulas conditiones tractatus matrimonialis, illisque novum robur, vel firmitas ex hujusmodi approbatione accrescat. Ratio est, quia Summus Pontifex approbans,

vel

vel reprobans fœdera pacis, non considerat hujusmodi fœdera prout pacta temporalia merè sunt, sed prout ex fine spirituali possunt dijudicari; nam sub prima consideratione à Principum paciscentium solummodò voluntate vim obligandi habent: sub secunda verò Pontifex approbans, ipsis firmitatem præbet, reprobans verò, cassat & infirmat. Porrò causa spiritualis, ex qua Summus Pontifex hujusmodi tractatibus se ingerit, est Ecclesiæ libertas, immunitas, & Catholicæ Fidei, cujus depositum ipse custodit, omnimoda indemnitas. Unde quando Summus Pontifex approbat aliquem pacis tractatum ab aliquibus, vel aliquo Christiano, & Catholico Principe conventum, hoc ipsi robur præstat, quod rescindi nequeat, ut Ecclesiæ juribus, libertati, statui, aut fidei conservationi contrarius; & e regione si reprobat, illum infirmat, & cassat ea parte, qua Ecclesiæ juribus, libertatibus, fidei indemnitati, aut propagationi adversum, ut reprobavit Inocent.X.ann.1648. pacem Ferdinand.III. cum protestantibus, quæ dicta fuit pax Germaniæ, & antiquitus reprobata fuit pax Norimbergæ facta à Carolo V. cum eisdem, quia ex utraque jactura non medioeris statui Catholicæ Ecclesiæ resultabat. Cæterò pacta illa merè, & purè temporalia, quæ nullum Ecclesiæ inferunt præjudicium, vel afferunt commodum, Pontifex in sua propria virtute relinquit; seu illis nullatenus suam authoritatem immiscet; sed paciscentium, quorum interest jurium suorum persecutio, voluntati, & potestati subjacent absque depen-

dentia aliqua ab Ecclesiastica Potestate. Hoc volventi Annales Ecclesiasticos Baronii, Spondani, Raynaldi, Bzovii multis exemplis clarescet.

266. Verumtamen efficacissima ratione Canonica comprobatur. Nam quidquid sit de illa celeberrima controversia, an nimirum Summus Pontifex supremam civilem potestatem, jurisdictionemvè temporalem habeat super omnes Principes, & Monarchas, quæ gladius temporalis dici consuevit, in qua plures, quos Navarr. laudat cap. *Novit. de judic.* partem affirmativam tenuerunt; quam tamen Panormit. eodem cap. & in cap. *Si duobus. de appellat.* sic intelligit, ut illam habitualiter censeatur habere, & veluti in vagina compressam; idest ei concessam, non per se, sed per Principes ad suum nutum exercendam, nisi in casu necessitatis. Hocque innuere videtur præclara illa B. Bernard. verba lib. 4. de considerat. ad Eugenium. *Quid tu denuò usurpare gladium tentes, quem semel jussus est ponere in vagina? quem tamen qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis sic. Converte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo & ipse, tuo forsitan nutu, etsi non tua manu evaginandus. Alioqui si nullo modo ad te pertineret & is, dicentibus Apostolis. Ecce duo gladii hic, non respondisset Dominus, satis est; sed nimis est. Vterque ergo Ecclesiæ, & spiritualis scilicet gladius, & materialis; sed is quidem pro Ecclesia; ille verò ab Ecclesia exercendus. ille Sacerdotis, is militis manu, sed sanè ad nu-*

tum

tum Sacerdotis, & jussu Imperatoris. Quibus ad suam extravagantem. ***unam Sanctam.*** firmandam usus est Bonifac.VIII. in famosa illa, nulli non nota controversia cum Philippo Pulchro, quæ non parum divexavit Ecclesiam. Plures etiam in extremam e regione sententiam abierunt, quorum meminit idem Navarr. loc. superius citato, & fundamenta diluit Cardinal. Turrecremat.lib.2.Summ. cap. 115. & 116. Alii ne alterutri potestati injurii viderentur, concordiam excogitarunt utriusque extremæ opinionis, & mediam quamdam non insulsè statuerunt, concedentem scilicet Pontifici Summ. indirectam in Reges potestatem, etiam quoad temporalia, seu quatenus fini supernaturali necessaria sit; cum enim respectu hujus finis quædam architectonica providentia Summo spiritualium Præfecto, qualis est Rom. Pontifex necessario concedenda sit (ni velimus Summum Provisorem, mutilè, & diminutè suo Gregi providisse) necesse ex consequenti videtur, quod ratione hujus finis, nedum media elicita, & ejusdem ordinis possit providere, sed etiam inferiora à temporali potestate elicienda, imperare, & ad finem prædictum ordinare: prout Architectus, nedum providet ea, quæ ædificio ex vi directa artis connectuntur, ut designatio spatii, latitudinis, altitudinis, profunditatis fundamentorum, murorum, mænium, turrium, verum cæmentariis, latomis, fabris lapidum, lignorum, ferri, & aliis inferioribus artificibus imperat facienda, & ad finem exemplatum, & præscriptum ordi-

ord nat. Idcirco hanc indirectam potestatem in temporalia vocant præfati Doctores gladium sub gladio. Hujus sententiæ fuerunt Navarr. ipse laudato cap. *Novit.* Turrecremat. loco nuper allegat. cap. 113. Victor. relect. de Indis. p. 1. à num. 26. Sot. in 4. dist. 25. q. 2. art. 1. à tertia conclus. Henric. Quodlibet. 6. q. 23. Albert. Pigh. lib. 5. Hierarch. Eccles. Petrus de Palud. lib. de Potest. Ecclesiast. Vvaldens. lib. 2. doctrin. fidei. art. 3. cap. 76. & duobus sequentibus. Nicol. Sander. visib. Monarch. lib. 2. cap. 4. Dried. lib. 1. de libert. Christian. cap. 15. & sequenti. & lib. 2. cap. 2. innumerique alii, quos citat, & sequitur Barbos. de potest. Episc. p. 1. tit. 3. cap. 2. num. 24.

267. Quidquid, inquam, sit de hac controversia, hoc certissimum est, Summos Pontifices, ubi causa spiritualis libertatis, immunitatis Ecclesiæ, indemnitatis, vel propagationis fidei, non intercedit, non immiscere suam authoritatem in Regum controversiis vel dijudicandis, vel componendis, nisi summum ut caduceatores, vel pacis sequestros, vel ad pacem hortantes, & paternis monitionibus allicientes; sed Regibus, aut Principibus ipsis sua jura temporalia intemerata relinquere. Id quando minus probant verba Nicol. 1. transcripta in cap. *Cùm ad verum.* 96. distinct. ad Michael. Imperator. *Cùm ad verum*, ait, *ventum est, ultra sibi nec Imperator jura Pontificatus arripuit; neque Pōtifex nomen Imperatorium usurpavit. Quoniam idem mediator Dei & hominum Homo Christus*

Jesus

Jesus actibus propriis, & dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque discrevit. Cum ergo Summ.Ecclesiæ Præsul nolit Principum juribus vel minimum præjudicium inferre, nec suam authoritatem, nisi ex causa Ecclesiæ, cujus jura ut Sponsus tueri tenetur, rebus eorum inserere; quando fœdera pacis reprobat, in eo sensu intelligendus est, ut ea, & juramenta desuper facta, casset, irritet, & infirmet, quia, & quatenus per ea Ecclesiæ jura violantur, non aliàs: si approbat, quod ex capite hoc, scilicet, quia Ecclesiæ juribus contraria, nec ipsa, nec desuper concepta juramenta irritari, cassari, & annullari possint; de reliquo ea intacta, & in sua primæva virtute, aut infirmitate linquit omnino.

268. Id tàm certum est; quòd non solum in causis purè, & merè profanis, quæ nec principaliter, nec incidenter spiritualem finem concernunt, Papa Regum juribus non deroget; verum etiam in illis adhuc causis temporalibus, quæ incidenter eumdem finem respectāt; seu, quæ causis spiritualibus incidunt; quas potiori titulo ad se posset avocare; si earum cognitio ad Reges attineat, eorum authoritati derogare aliquantisper nolit. Quod duplici magistrali textu dilucidè probatur. Primus habetur in cap. *Tuam non credimus.de ordin. cognition.* in quo Summus Pontifex causam successionis in Comitatu Cāpaniæ Regis Christianissimi cognitioni, à cujus Corona fœudum illud movebat, reservavit, licet quæstio inciderit in causa valoris matrimonii, ut putat Fagn. vel saltem cum illa cōnexa esset, & causa spiritualis,

lis, ut magis digna, etiam incidens, trahat ad se causam tēporalem ut quidam tenent. Secundus & expressior in cap. *Causam. Qui filii sint legitim.* ibi. *Nos attendentes, quod ad Regē pertinet, nō ad Ecclesiam, de talibus possessionibus judicare; ne videamur juri, & dignitati charissimi in Christo filii Regis Anglorum detrahere;* & infra. *Quatenus Regi possessionum judicium relinquentes, de causa principali, &c.* Ecce causa spiritualis principalis erat; causa temporalis possessionum, incidens, vel accessoria; & tamen Pontifex, qui ratione causæ principalis, incidentem, & accessoriam jure optimo ad suum judicium avocare, & trahere poterat; ne Regis juri vel minimum derogaret, eam Regio judicio rese... at. Quis ergo credat, quod in causa purè materiali, aut profana suam vellet inserere authoritatem?

269. Sed quamquam hęc disceptationem omnem fugiant, & consequenter per illa argumentum ex hoc capite petitum nullius roboris compertum sit; ex abundanti concedamus Austriacis, Pontificem etiam circa conjugii conditiones suam voluisse authoritatem exercere: adhuc non ipsis suffragatur, ex triplici solidissimo fundamento. Primò, quod, cum conditiones conjugii in separato libello repositæ sint, ut patet ex verbis supra expensis, & inter capitula pacis solum remissivè reperiantur enuntiatæ, nullam ex approbatione specifica tractatus pacis aliam approbationem conditiones conjugii à Summo Pōtifice reportare potuerunt, quàm in forma generali, aut communi: quia confirmatio spe-

ſpecifica non cadit niſi ſuper id, quod in ſpecie fuit expoſitum; ideoque ſæpe ſæpius in inſtrumento approbationis, vel confirmationis inſeritur de verbo ad verbum, vel clauſula tantumdem operans, ac ſi id quod approbatur, vel confirmatur de verbo ad verbum fuiſſet inſertum. At confirmatio in forma communi nullum jus denuò confert, ſed diſpoſitionem in eodem ſtatu relinquit; unde parum valet, ut ait gloſs. ultim. in cap. *Si quis.de confirmat.util.vel inutil.*& ibi Abb.antiq.num.2.verſ. *aut non apponitur*.Abb.Sicul.num.6. Caſſador.dec.unic.eodem titul.Rota deciſ.84. num.8. part.7. recent.& plures alii,quos citat Fagnan.eod.cap. num.20.

270. Secundò: quia eſto confirmatio, vel approbatio illa proceſſiſſet in forma ſpecifica, & quibuſvis munita cautelis, non operaretur, etiam in materia purè ſpirituali, & Summi Pontificis diſpoſitioni funditus ſubjecta, in præjudicium prolis naſcituræ; quia Papa nunquam præſumitur velle inferre tertio præjudicium, ut obſervat Gail.lib. 1. obſervat. 1.num.14.& deducitur ex cap. *Quod vero dicitis*. 25. q. 2. cap. *Pervenit*. 11.q.1.cap.*Libet.de off. ordinar*. cap. *Dilecto. de verb. ſignific.* gloſs. verbo. *intentionis*.in cap. *Super eo.de off. delegat.* Xuar.allegat.7.num.4.Hippol.ſing.295.verſ. *Secundo ſcias*.Card.Thuſc.tom.6.litt.D. concluſ. 687. Quod nedum verum eſt in Summ.Pontif.cujus diſpoſitiones æquitatem ſpirant, ſed in quovis Principe ſæculari, cujus reſcripta ſic debent explicari etiam impro-

priatis verbis, ut nemini injuria sint. Dec. consil. 11. num. 4. quia semper præsumitur ejus intentio æquitate regulata, ut servetur illæsum jus tertii. Dec. consil. 271. & 544. & 606. num. 17. Curt. Juni. consil. 88. num. 8. & consil 172. num. 3. Hippol. sing. 440. Alciat. de præsumpt. regul. 3. præsumpt. 11. adeo ut ipsæ dispositiones motu proprio emanantes, in præjudicium tertii nō operentur, quia potius debet præsumi Princeps circumventus, quam ex intentione tertio præjudicare; ut notavit Apont. consil. 59. num. 35. etiam si contingat modicum præjudicium; ut dixit Riminald. consil. 6: nu. 68. volumin. 1. Quomodo igitur posset illa Pontificia approbatio, vel confirmatio trahi in obtentum injustæ exclusionis sobolis Serenissimæ Infantis, ubi nulla subest exclusionis causa?

271. Tertio, & efficacissimè. Quoniam etiam dato, quod per hujusmodi Pontificiam confirmationem novam vim, novum robur, novamque obligandi efficaciam prædictus tractatus nactus fuisset, id verificari debet pro his casibus, pro quibus tractatus ipse propriis viribus obligabat, confirmatio enim illa supponit tractatum validum, non facit: & obligatorium, non enim vim obligandi confert, sed roborat, perficit, & auget: unde si tractatus foret naturaliter nullus, per confirmationem non validaretur, nec vim obligandi obtineret, maximè per confirmationem in forma communi, ut docet Specul. tit. de legat. §. *Nunc ostendendum*. vers. 11. num. 8. Ostiens. in Sum. de confirmat. util.

vel

vel inutil.§. *Quis sit effectus*. Alex.consil.123.n.18. lib.4. Paris.cons.5.n.36. lib.4. Sed tractatus iste etiam ut complectitur renuntiationem, exclusionem, ratificationem, vel juramentum, nullum ponebat obicem in specie nostra successioni Regis Catholici Philippi, ex cessatione causæ finalis, ex æquivalenti exceptione, ex defectu potestatis in excludentibus respectu hujus casus legibus fundamentalibus prorsus consoni. Igitur nec approbatio Pontificia pro hoc casu valorem, vel vim aliquam conferre potest exclusioni præfatæ.

§. IX.

Asserta Pontificia approbatio non obest successioni Regis Catholici Philippi in Regno Neapolis.

272. SEd enim poterunt Austriaci (ne querantur, nos ex industria aliquid, quod quomodolibet suis juribus congruit, dissimulasse) contra præcedens responsum insurgere hoc motivo. Quamvis pactiones, sub quibus conventum est conjugium Serenissimæ Infantis cum Rege Christianissimo, merè temporales censeantur, prout concernunt successionem in Regnis Hispaniarum, reliquisque Statibus huic dominationi accedentibus, quibus propterea Summus Pontifex suam authoritatem non immisceat, sed potius ab eis absistat; prout tamen tractatus præfatus concerne-

bat Regni etiam Neapolitani succesṡionem, quod est Ecclesiæ Romanæ fęudum, & ad Div. Petri Patrimonium ſpectat; Juris Pontificii erat, prædictum tractatum approbare, vel reprobare; cum absque ipsius consensu nihil de hujus Regni ſucceſſione, investituræ contrarium, ſtatui poterat. Et quidem ex hoc capite censeri debet, ad Sedem Apostolicam delatum hujusmodi conjugium; nam si pacta illa abdicationis, vel exclusionis, sine approbatione, confirmatione, aut consensu Sedis Apostolicæ processissent; nedum quoad hoc Regnum, nullius roboris fuissent, verum Apostolica Sedes prætendisset Regem Catholicum hujusmodi fęudo decidisse, cum disponeret de feudo sine consensu directi Domini, quæ dispositio caducitatem inducit, ut Scribẽtes resolvunt super cap. *Imperialem.de probib.fęud. alienat.per Federicum.* etiam si protestaretur se disponere salvo,& reservato consensu Pontificis, quia protestatio foret facto contraria, ut observavit Jul. Clar. quæst.30.§. *Fęudum.* Silvest. verbo. *Fęudum.* q. 18. Reg.Less.& alii citati à Bonac.disp.3. de contractib.q. 8.punct.3.§.4.num.1. Exemplumque ex subjecta materia potest in confirmationem adduci, videlicet, quod fęl.record.Jul.2. Ludovicum XII. Regem Christianissimum declaraverit fęudo Regni Neapolis cecidisse, de quo ab Alex.VI. fuerat investitus, eo quod medietatem prædicti Regni sine consensu Sedis Apostolicæ alienaverit, eam cedendo Ferdinando Aragonio, Regi Catholico, ut constat ex diplomate, quod reperitur in-

ter

ter Bullas hujus Pontificis apud Laert. Cherubin. ibi. *Quodque etiam Majestas sua facere non debuisset, Regnum ipsum cum tota portione ei concessa absque voluntate nostra, nobisque inconsultis alienare præsūpsit: Authoritate Apostolica tenore præsentium dictum Ludovicum Regem à Regno Neapolis, & Jerusalem, & Neapolitana, & Cajetana Civitatibus, Terralaboris, & Provincia Aprutina, omnique eorum jure penitus cecidiss., illaque propterea ad Nos, & Romanam Ecclesiam plenè, & liberè rediisse, & devoluta esse, decernendum merito duximus, & censendum, ut harum serie decernimus, & censemus.* Cum ergo nec Paul. V. sub quo prima exclusio facta fuit, nec Alex. VII. quo sedente, secunda; nec posteriores Pontifices in has dispositiones unquàm reclamaverint: argumento est, ipsos sua approbatione pactiones hujusmodi roborasse, ex causa publica quietis totius Europæ, prædictamque approbationem absolutam, & pro omni eventu quoad hoc Regnum, exceptis duobus illis casibus, quos ipsæ conventiones expresse excipiunt, censeri debere, cum Summus Pontifex non possit argui defectus potestatis, sicut Rex, vel Respublica, quoad Regni Neapolis successionem.

273. Potest hoc ipsum alia ratiocinatione roborari, quæ licet argumentum negativum sit; ex circunstantiis tamen non parum urget. Nimirum: Si Summi Pontifices non approbassent prædictas exclusiones, aut renuntiationes, seu conventiones nuptiales: hæ, quoad

Re-

Regnum Neapolis ad minus, nullius roboris essent, quia nulla dispositio quantumvis generalis, & quibusvis vinculis obsignata, comprehendit id, de quo disponens non posset in specie disponere, ut probat Anchar.consil.155. *Optimis rationibus*.num. 10. quem laudat Card.Thusc.tom.2.lit.D. conclus.490.nu.16. at dubitari nequit, quod nec Reges, nec Respublica Hispana excludendo, nec Serenissimæ Infantes renuntiando, etiam sub juramento, poterant novam dispositionem inducere in præjudicium prolis nasciturae ex præfatis conjugiis, sine consensu, & authoritate Sedis Apostolicæ, vel contra primarias hujus Regni investituras concessas Ferdinando Catholico, & Carolo V. nullum igitur dubium reliquum esset, quin Regi Catholico competeret hujus Regni investitura. Nihilò minus Summus Pontifex Clemens XI. doctissimus, & juxta æquissimus Judex, hucusque prædictam investituram concedere detrectavit. Igitur, quia agnoscit, ex prædecessorum suorum consensu, & approbatione, præfatas nuptiales conventiones ratas, firmasque evasisse pro omni casu, exceptis illis duobus in ipsa dispositione comprehensis; subindeque cum casus præsentis successionis ex illis non sit; jus succedendi Augustissimo Cæsari obvenisse: Quia deficiente linea Serenissimarum Infantium, proximior est linea, & gradu Carolo II. ultimo Regi, & lineæ primogenitorum Ferdinandi primò investiti: quod nemo disputat.

274. Hæc nova instantia, quæ fieri quiret ab Austria-

ſtriacis, ſtatim jugulari poteſt, admittendo cum ipſis Pontificiam approbationem cadentem ſuper matrimonia, & ſingula eorum pacta: Nam ea admiſſa, dicemus, prout §. præcedenti diximus, approbationem Pontificiam non mutaſſe ſubſtantialiter contractum; ſed firmaſſe, ipſique novum authoritatis, & roboris pondus attuliſſe; Cumque ex contractu ipſo, ſeu cauſa illius expreſſa, & caſibus in eo exceptis deprompſerimus, in caſu præſentis ſucceſſionis nihil eſſe, quod Regi Catholico noſtro Philippo impedire valeat, quominus ei deferatur; conſequenter deducitur, ex vi Pōtificiæ approbationis, quæ eodem paſſu incedit cum contractu ipſo, debuiſſe ſucceſſioni integræ Hiſpanæ, Neapolis quoque ſucceſſionem accedere. Ideoque ipſa Pontificia authoritas, quam urgent, potius favet, quàm noceat Regi Catholico, ut conſideranti illicò patet.

275. Cæterum, quia credimus, Pontificiam approbationem in ſpecie cecidiſſe ſuper fęderа pacis; & ſolùm in communi, aut in genere ſuper matrimonium, in illis fęderibus duntaxat inſinuatum: reſpondemus producta in objectione vim aliquam factura, ſi conventiones hujuſmodi quidquam ſignanter, & in ſpecie diſponerent de Regni Neapolis ſucceſſione; hæc enim ſine Apoſtolicæ Sedis conſenſu nullius roboris forent, poſſentque à Summo Pontifice caſſari, & irritari. Non autem poſſet fęudi caducitas declarari: quia quoad hoc eſſet manifeſtum diſcrimen inter caſum noſtrum,

& ca-

& casum Ludovici XII. Ille enim alienavit de facto, ut cunctis obvium est, quo casu injuria irrogatur supremo Domino; hic autem nulla foret contraventio investituræ de facto, sed conventio quædam, quam, si Domino displiceret, integrum ipsi semper foret irritare, sine cujus authoritate, & consensu successio ab uno in alterum nequit migrare. Cæterum exclusio, vel conventiones prædictæ directè, & expresè loquuntur de Regnis, & dominiis propriis, & principalibus Regis Catholici primario; secundario verò de dominiis aliis, quæ his accessere, vel aggregata sunt, ut patet ex verbis illis clausulæ quintæ exclusionem continentis. ***Ni en todos los comprebendidos, inclusos, y agregados à ellos***, quibus Regnum Neapolis accenseri debet, quod perpetua unione à Julio II. Regno Aragoniæ adnexum est, ut constat ex verbis ipsis investituræ, in quibus Ferdinando Regnum Citerioris Siciliæ. ***Pro se suisque in Regno Aragoniæ heredibus, & successoribus*** (ait Pontifex) ***tam masculis, quàm feminis ex eo recta linea descendentibus, natis, & nascituris, cum omnibus juribus, & pertinentiis suis. concedimus, & elargimur***. In his duæ subordinatè conditiones ad hujus Regni successionem desiderantur, prima, quod successurus recta linea descendat à Rege Catholico Ferdinando. Secunda, quod sit ejus in Regno Aragoniæ hæres, vel succesor; ideoque is qui in Regno Aragoniæ succedit jure Ferdinando tanquam linea, & gradu potior, statim jus habet ad investituram Regni prædicti.

dicti. Porrò licet Reges Catholici,& Regna Hispaniarum, non potuerint, Sede Apostolica inconsulta, disponere de successione expressa Regni Neapolis; potuerunt tamen, citra ipsius Sanctę Sedis injuriam, declarare, vel juxta leges Regni fundamentales excludere à successione Aragoniæ Principem ex hoc conjugio natum, qui in simul jure patris successurus esset in Monarchia Franciæ: qua facta juxta leges exclusione, in consequentiam veniret successio Regni Neapolis: quia ex quo hoc Regnum Sedis Apostolicæ beneficio accedit Aragoniæ, successio Aragoniæ tanquam principalis trahit ad se illam minus principalem,& accessoriam successionem. Accessorium enim ex vulgari regula sequitur naturam principalis, quod adeò verum est, ut principale etiam minus dignum trahat ad se accessorium dignius, ut tradit Roman.consil.330.*Circa primum.* num. 13. in fine.cum pluribus aliis collectis ab August.Barbos.tract.de axiomatib.axiomat.4. num.7. ex qua doctrina deducunt Canonistæ, quod si Parrochialis Ecclesia accessoriè uniatur simplici Beneficio, assumat naturam, & conditiones Beneficii simplicis. Sic Navarr.Azor.Nicol.Garzia laudati ab eodem Authore axiomat.prius allegato. Hujus doctrinæ clypeo munitus Archiepiscopus Nazzarenus, licet habeat in Castro Barol. Ecclesiam personalē residentiam exigentem, ab onere residendi, se exēptum semper existimavit; quia cum prędicta Ecclesia accessoriè unita sit Archiepiscopali Dignitati Nazzarenæ, quæ residentiam non

exigit, ut pote sita in partibus Infidelium, non habens clerum, vel populum; accedentia Beneficia ejus naturam sapiunt, aut induunt, aut sapere, & induere contendunt qui hac dignitate decorantur.

276. Hæc est vera causa, quare Summi Pontifices de hac dispositione conquesti nunquam sunt, quia, scilicet, ea Regnum Neapolis primò, directè, & expressè non respectabat; sed indirectè, & accessoriè, in quo nihil Pontificiæ supremæ in hoc Regno Potestati derogatum est, vel minima injuria irrogata. Præsertim, cum hæc dispositio indirecta reduci non posset de potentia ad actum, sine expresso Summi Pontificis interventu, à quo succedens in eo casu deberet investiri; atque adeò semper integrum fuisset examinare, an ex jure, an ex injuria procederet? & Ecclesiæ jura vindicare, asserere, sarcta tectaque servare. Credimus tamen, quod si casus incompatibilitatis prædictæ evenisset, sese prædictæ exclusioni accommodasset; non quia expressè fuerit ab Ecclesia approbata; sed quia conformis legibus Regni Aragoniæ, cui Neapolis adhæret; in eo quippe eventu proximior linea, & gradu post exclusos, foret regularis successor, & veluti hæres Ferdinandi, proindeque jus ad investituram indubitatum haberet.

277. Nec obstat, si urgeant, non constare, modò usquè, quod prædicta exclusio sit Regni Aragoniæ legibus conformis; sed duntaxat Castellæ: atque adeo, si vim ab expresso Sedis Apostolicæ consensu non habuisset, nullius roboris esset; quod nec nos admittimus.

pro-

pro casu unius successoris respectu utriusque Coronæ. Non obstat. Nam cum inter Regna constituentia Monarchiam, Castella primatum habeat, compatibilitas, vel incompatibilitas ex ea est attendenda, quæ quoad successionem reliqua secum portat propter eorũ unionem, nisi specialis eorum lex resistat, quæ tamen non resistit. Rursus, quia Regni Aragoniæ prima constitutio Reges suos strictius ligavit, quàm Regni Castellę lex fũdamentalis; reservarunt quippe sibi Regni comitia dispositionẽ in casibus irregularibus, ut videre est apud Authores Aragonios Blanch. Zuritam, & alios. Unde casus successionis, vel sunt ex his, qui aliquando evenerunt; & tunc quod comitia jam statuerunt, legis vim habet; vel ex his, qui nunquam evenerunt, & tunc requirenda est comitiorum declaratio. Exemplo res illustratur. Si controverteretur, an fęmina succedere debeat in Regno Aragoniæ? non requiritur comitiorum decisio, quia ex quo Petronillæ successionem detulerunt comitia Regni, jam pro fęminis decisum est. Unde Joannæ Aragoniæ successio delata fuit sine controversia. Si controvertatur, an filiæ exteris nuptæ patruo præferantur? controversia decisa est in casu obitus Joannis primi, cujus filiæ exteris nuptæ patruo Martino cesserunt. Si controvertatur quisnam, è concurrentibus ad successionem transversalibus debeat præferri? controversia decisa est in successione Ferdinandi Honesti, qui, ut proximior ultimo Regi ex sorore majori natu, ad successionem vocatus est. Si controvertatur, an

an filia major extero nupta, & ejus filii præferri debeant filiæ secundogenitæ in Hispania nuptæ, & ejus soboli? controversia decisa est in successione Joannæ Aragoniæ, nimirum si filia major domicilium figat in Hispania, in eaque Regia conservetur, prout fecit Joanna, filia major natu præferenda est, ut Joanna prælata fuit Mariæ nuptæ Emmanueli Lusitano. In quo exemplo decisa est controversia incompatibilitatis, simul considerato exemplo successionis Martini: ex utroque enim constat Aragonios externum dominium aversari, nec etiam filiabus præmortuorum Regum successionem deferre exteris nuptis, nisi in Hispania domicilium figant, & in ea Regiam conservent. Unde non opus erat requirere expresiorem consensum, siquidem in exemplis dictis Comitia Regni satis superque se declararant.

278. Hæc dicta sunt, ut incompatibilitatem utriusque Coronæ consequenter tueamur; non quia objectio Austriadum hoc desideret. Etenim si admittamus, exclusionem illam nullam vim habuisse in Regnis Aragoniæ, & Neapolis ex defectu expresi consensus illius Regni, & Apostolicæ Sedis; pro Rege Catholico Philippo fortius jus resultat quoad hanc successionem, fortiusque conatus Austriadum retunditur. Nam præscindendo à prædicta vel exclusione, vel renuntiatione, aut exclusionis ratificatione jurata; nulli dubium esse potest, quin debeat succedere Carolo II. soboles ejus sororis majoris natu juxta leges, & consuetudines

Ara-

Aragoniæ: atque ideo Serenissimus Franciæ Delphinus: hocque se abdicante, Serenissimus Dux Burgundiæ: & eo renuntiante, Serenissimus Philippus; non verò Augustissimus Leopoldus, qui ex remotiori linea descendit. Huic formulæ succedendi respondet investitura Regni Neapolis concessa Ferdinando. ibi. *Descendentes autem ex ipso Ferdinando Rege, aut suis heredibus, & successoribus præfatis mares, & feminæ in eodem Regno Siciliæ, & Hierusalem succedant; ita tamen, quod masculi feminis, & natu majores minoribus in eodem gradu præferantur, & sic exinde in omnibus successionibus observetur. Volumus tamen filium, vel filiam filii vel filiæ majoris etiam in vita patris, & matris præmortui, aut præmortuæ, in successione prædicta semper patruo, vel amitæ, aut materteræ aliisvè transversalibus præferri.* His extantibus quisnam recursus subest Austriacis? Vel enim Regnum Aragonię sequi leges Regni Castellæ in hac successione debet, vel non? si debet, quæ diximus de Regno Castellæ, dicta sunt de Regno Aragoniæ. Sicut ergo pro casu præsentis successionis nullum ponit obicem exclusio facta ad leges Castellæ, nec etiam ponet ad successionem Aragoniæ: Rexque Catholicus tanquam verus successor & Castellæ, & Aragoniæ jus habet ad investituram Regni Neapolis. Si non debet: cum renuntiatio, vel exclusio non processerit secundum ipsos in Regno Aragoniæ, & secundum leges hujus Regni Philippus, non Leopoldus succedere debeat; non

non iste, sed ille jus habet ad succesſionem Regni Neapolis. Pariter, vel Summus Pontifex approbavit excluſionem, aut renuntiationem, vel non; ſi approbavit, approbatio regulanda erit ſicut excluſio; cumque excluſio hunc caſum non comprehendat; nec approbatio Pontificia ad hunc caſum extenditur; ſubindeque ſemper attendenda eſt nativa vis excluſionis, vel renuntiationis: Si ergo Rex Catholicus, non obſtante ea, jure ſuccedit in Aragonia, non obſtante approbatione, jure ſuccedet in Regno Neapolis. Si non approbavit, cum jure Regni, & jure communi Philippus, non Leopoldus ſuccedat in Aragonia, & jure inveſtituræ vocetur ad ſucceſsionem Neapolis, ipſi hujuſmodi ſucceſsio debetur; non Cæſari.

279. Imò ipſi adverſarii contendentes hanc Neapolis ſucceſsionem ſuppeditant nobis verum incompatibilitatis, quam urgent, intellectum. Neminem latet, Rom. Pontifices expertos, quot calamitates Imperatores generis Svevi Romanæ Eccleſiæ, univerſæque Italiæ ſtruxerint, quibus non levem fomitem præbuit poſseſsio uniuſque Siciliæ; privata jure ſuccedendi univerſa ſobole Federici II. ſceptrum à Svevis ad Carolum Andegavenſem S. Ludovici fratrem tranſtuliſse, ea lege, ut ſub pęna caducitatis nunquam Regna præfata cum Romano Imperio coirent; quam itidem cautelam adhibuerunt, quando ab Andegavenſibus ad Aragonios Regnum Neapolitanum tranſivit; innovataque fuit in inveſtitura Ferdinandi apud Cherubin.

inter

inter diplomata Julii II. Unde Carolus V. ad Romanum Imperium electus hujus conditionis veniam coactus est à Leone X. impetrare,impetravitque solutione pacta annui census aureorum septem millium ultra candidum palafrænum, quem ex investitura Ferdinandi præsentare tenebatur, ut Marian. advertit in Hist. lib. 29. cap. 24. Ecce modo instantiam. Regnum Neapolis est incompatibile ex vi investituræ cum Sacro Romano Imperio; ut propterea Imperator nullo jure ad ejus successionem contendere possit; & tamen Augustissimus Cæsar actu impeditus, impedito etiam primogenito, quia Rex Romanorum, & in Imperio successor destinatus est, putat ad secundogenitum Carolum, in quo impedimentum cessat, jus successionis transiisse; ergo licèt Regnum Franciæ cum Hispaniæ Regno, & consequenter Neapolis incompatibile sit, nec propterea succedere possit Serenissimus Delphinus (cui alias successio de jure competeret) quia successor Regni Franciæ: nec Serenissimus Dux Burgundiæ, quia ex ortus conditione successor est patris; ad ejus secundogenitum Philippum nostrum successio devolvitur Hispaniæ, & Neapolis. Et quoad Neapolis successionem eò fortius urget instantia,quo incompatibilitas cum Imperio inducta fuit expressa Sedis Apostolicæ dispositione; incompatibilitas vero cum Corona Franciæ venit, non ex Sedis prædictæ dispositione,sed in consequentiam incompatibilitatis Hispaniæ. Si ergo, hoc non obstante, putant, teneri Ponti-

tifi-

tificem investire filium secundogenitum, in quo non urget incompatibilitas; cur non credemus jus investituræ competere Regi nostro, quem nulla incompatibilitas, nec per Sedem Apostolicam inducta, nec ex Regni legibus statuta, afficit, cum alioqui potior, & gradu, & linea sit Augustissimo Cæsare, & ejus prole? vellem audire discrimen.

280. Nam si iterum dicant, exclusionem sanguinis Gallici processisse ad impediendam unionem, & unionis periculum. Iterum hoc exemplo reponam; quod ubi arcetur unio, arcetur unionis periculum, licet non è contra. Ideo Pontifices Summi ad arcendum periculum unionis Regni Neapolis cum Imperio induxerunt incompatibilitatem cum caducitatis pœna; semel enim stabilita incompatibilitate, cessat omne periculum unionis de jure, nec aliud providere necesse fuit; alioquin si ex solo periculo unionis cum Imperio, Archiduci denegaretur successio exemplo hujus exclusionis; acquiesceret fortè Cæsar? cum igitur æquale periculum sit hoc cum illo, cur Pontifex ex periculo, quod sua non refert, nec investituræ præcavent, procedet ad denegandam investituram Principi alias legitimè vocato?

281. Quod verò hactenus Summus hodiernus Pontifex Clemens XI. quem Deus, ut Ecclesiæ utilitas postulat, diu multumque conservet, Regi nostro Catholico investituram distulerit, potius quam detrectaverit, nihil, de quo sibi possint blandiri Austriaci,

præ-

præfefert. Non enim Pontifex fcientiſſimus dubitat de bono Philippi noſtri jure, quem dum Regem Aragoniæ agnovit, tacitè faſſus eſt, eum eſſe, quem vocat inveſtitura; imo ſi circa hoc hæreret, præſentationes ad Regni Eccleſias non admiſiſſet; quod vero de eis Bullas non expedierit; non velim referant Auſtriaci ad bona jura Auguſtiſſimi Imperatoris: ſed conſequens hoc eſt ad inveſtituræ dilationem. Quia non eſt moris Eccleſiæ Bullas dirigere ad Principes fęudatarios, priuſquam ab eadem inveſtiantur: eaque ratione nec proviſorum Apoſtolica nominatione in eo Regno Bullas hucuſque expedivit. Si Summus Pontifex aliquam Archiducis præſentationem admiſiſſet, vel in Regno Aragoniæ, vel Neapolis, ſi ad eum tanquam Regem Hiſpaniarum Legatos direxiſſet; crediderim in ipſum propendere; ſed cum erga Catholicum hæc omnia expleverit, non erga Sereniſſimum Carolum, haud video, quid inveſtituræ dilatio ſpei Auſtriacis ingerere valeat.

282. Cur vero, ais, illam procraſtinat? Sacra arcanorum adyta, quæ ſibi Summus reſervavit Sacerdos, penetrare velle, piaculum eſt. Hoc certum, à Summo Pontifice, ſapientiſſimo, juſtiſſimo, prudentiſſimo, & omnigenis rerum experimentis ad regimen univerſalis Eccleſiæ non tam inſtructo, quam conflato, nihil non juſtum, nihil non prudens ſperari debere. Sed ſi ex his, quæ extrinſecus innoteſcunt, diſcurrere licet; quin ſacra alia conſilii ſui arcana temeraria præſump-

tione rimemur; hanc procrastinationem ad consultissimam, & probatissimam ejus prudentiam referemus. Nimirum, prius universalis Patris vices, quam Judicis munia inter has præcipuas Europę potentias subire voluit; rectissimo sanè consilio. Nam si pro Rege Catholico, cujus justitia ipsi perspectissima nõ esse nõ potest, decidisset; Austriaci, qui suis præjudiciis occupatissimi sunt, nunquam forsàn judicium ex jure, sed ex affectione privata dixissent, ut in consimili specie ferè, discurrit P. Ludovic. Molin. de just. & jur. disp. 103. his verbis. *Quamvis autem, quando lis est inter Principes Christianos, & judicaretur bono Ecclesiæ, finique supernaturali expedire omninò, ut Summus Pontifex rem diffiniret; posset pro plenitudine potestatis, quam ad finem supernaturalem habet, se intromittere, & causam ad se avocare, eamque sententia definire, & censuris, & aliis viis rebellem compescere, ut disp. 29. dictum est. Ordinariè tamen expedientius est, ne id faciat: quoniam id occasio esse posset gravissimorum malorum: dum qui damnaretur, facilè in odium Summi Pontificis exardesceret; arbitraretur-que passione ductum, aut re non benè perspecta, sententiam contra se tulisse: indeque sumere occasionem denegandi obedientiam Summo Pontifici, tùm in aliis; cum etiam eâ in re, tam perspectumque obtenderet jus suum, ut diceret, se etiam adversus Summum Pontificem posse bellum movere. Atque hac de causa rarò aut nunquam solet se intromittere in litibus Principum*

pum Christianorum utendo plenitudine hac suæ potestatis: sed solùm tanquam pater solet eos monere, ut se ipsos componant, & à bello abstineant. Hic duo sunt, alterum de jure, de facto alterum: & licet in casu Molinæ, de jure multi negent; multi asserant; de quo superius dictum est; in casu nostro utrumque potest Pontifex sine controversia. Cæterum, nec hic, nec ibi expedit uti hac potestatis plenitudine, quæ invidiam Ecclesiæ moveret; Hac ratione motum Clement. XI. scientissimum, experientissimumque Pontificem, sine temeratione arcanorum suorum credere possumus, qui, sententiam differendo, omnem à se suspicionem dispellit, ut partes arbitri, & sequestri in pace statuenda, quam ex imis visceribus optat, de utriusque partis consensu facilius, majoriq; Ecclesiæ honore, & reverentia, possit obire. Et tandem cum Rex Catholicus, eo nequaquam reluctante, Regnum liberè administret, nemo dubitat, quin tacitè investitus sit, suo quoque tempore expressè opportunius investiendus.

§. X.

A Regum Catholicorum testamentis nihil præsidii Austriacis accedit.

283. IN testamentis Catholicorum Regum Philippi III. & Philippi IV. vim magnam facturos, sibi pollicentur Austriaci. Producunt ergo in confir-

mationem juris sui primò testamentum Philippi III. Hic Catholicus Princeps, attenta renuntiatione Serenissimæ Infantis Annæ, ejus filiæ natu majoris, vel exclusione in pactis nuptialibus conuenta, ab ea approbata, ratificata, & juramento confirmata, ipsam in ultimis tabulis præterivit, & post vocatos ad successionem, suo ordine, filios masculos Philippum, Carolum, & Ferdinandum, in eorum defectum vocat Serenissimam Infantem Mariam, ejus secundogenitam, quæ postea nupta Augustissimo Ferdinando III. edidit Augustissimum Leopoldum unicum masculum superstitem. Imò &, hac deficiente linea, uniformans mentem suam Philippi II. Genitoris ultimæ dispositioni vocat sororem Isabellam Claram: post eam, Serenissimum Sabaudiæ Ducem, ut descendentem ex ejus sorore Catharina; quin in ullo eventu nec Serenissimæ Annæ, nec ejus prolis primo, vel secundo, aut tertiogenitæ, meminerit, quam absolutè, & pro omni casu exclusam, bene sciebat. Huic testamento congruunt etiam pacta nuptialia Serenissimę Infantis Mariæ, in quibus sibi reservat jus succedendi in Monarchia Hispana, post masculos extinctos, sibi conveniens, supposita exclusione, aut renuntiatione, Serenissimæ Annæ Sororis majoris natu; jure geniture, & vigore paterni testamenti; ut nullum superesse possit locus dubitandi, quin hanc exclusionem Reges ipsi, & Principes Regiæ Domus Hispaniæ, absolutam, & pro omni eventu crediderint respectu Sobolis Serenissimæ Annæ

ex

ex matrimonio cum Christianissimo Rege susceptæ.

284. Producunt itidem testamentum Philippi IV. quod quoad præteritionem Serenissimæ Infantis Mariæ Theresiæ idem, vel geminum cum patris testamento est. Quippe post Carol. II. unicum masculum superstitem, præterita præfata Serenissima Franciæ Regina, vocat ad successionem filiam secundogenitam Margaritam, & in ejus defectum, Serenissimum Leopoldum Cæsarem, ut filium sororis Mariæ Imperatricis, geminans hic motiva præteritionis filiæ natu majoris, scilicet exclusionem, aut renuntiationem juris succedendi afficientem universam prolem ex matrimonio cum Rege Christianissimo Ludovico XIV. susceptam, & suscipiendam. Hæ dispositiones, si ut testamenta horum Regum vim nullam habeant; saltem non possunt non admitti, ut documenta, ex quibus dilucidè constat, qualis fuerit utriusque Regis intentio in hujusmodi renuntiationibus, vel exclusionibus; & cum dispositiones ex intentione disponentium debeant regulari, quia non intentio verbis, sed verba intentioni servire debent, ut superius observavimus, & probavimus; videtur cõtroverti non posse, quin Catholicus Rex Philippus, ex intentione disponentium, exclusus veniat ab hujusmodi Monarchiæ successione.

285. Ex dictis parte præcedenti hujus Sectionis, signanter §. 10. constat, Reges de Regnorum successione, nec inter vivos, nec testamentaria dispositione decernere posse: ut ibi multis probabimus, & latissimè de-

demonstrat Arnisæus de jure Majest. tom. 2. lib. 1. cap. 7. Legis enim, non Regis est de Regno disponere; & universim in his successionibus, quæ sanguini deferuntur, in quibus successor ab antecessore causam non habet, institutiones antecessorum nihil prorsus operantur, etiam si antecessor instituat eum, quem dispositio primi Institutoris indubiè vocat ad successionem; quanto minus, si contra primam dispositionem instituat? ut optimè probat D. Ludovic. Molina. de Primogen. lib. 1. cap. 8. num. 20. exemplo fęudi ex text. in cap. *Unico in princip. de success. fęud. in usibus fęud.* ibi. *Nulla ordinatione defuncti in fęudo manente, seu valente*. Hunc textum sic intelligunt And. de Isern. Bald. & communiter Scribentes ibidem. & communem opinionem dicit Socin. Junior. cons. 72. Curt. etiam Junior. de fęud. 4. part. princip. 1. regul. q. pęnult. Jul. Clar. lib. 4. sent. §. *fęudum*. q. 40. & in bonis non fęudalibus probat textus in leg. *irritum. C. ad leg. falc.* leg. *Si te solum*. §. 1. ibi. *Quia satis plena fuit prior institutio*. ff. *de hæred. instit.* leg. *Si servo fideicommiss*, ff. *eodem titul.* illis verbis. *Qui enim invito defuncto poterat libertatem extorquere, non magnum à defuncto videtur beneficium consequi; imo nihil commodi sensisse, sed debitam libertatem accepisse*. de hoc fusè Peralt. *leg.* 3. §. *qui fideicomm.* ff. *de hæred. instit.* à num. 36. Anton. Gomez. in leg. 40. Taur. num. 8. Unde; ut ex his testamentis aliquid suæ causæ propitium eruere possent contrarii, plura prius ipsis probanda erant:

erant: videlicet, Regna componentia hanc Monarchiam successionis esse hæreditariæ, non sanguinis. Rursus; cum adhuc foret hæreditas debita uni, & natu majori; potuisse parentem suo facto prajudicium filiis, vel nepotibus venientibus jure proprio, prædefuncto Genitore tempore deferendæ successionis, procudere. Tertio, non posse renuntiantem, vel ejus posteros succedere ex testamento alteri, qui successit, ei, cui renuntiatum est. Quarto, non extingui renuntiationem, cessante causa, cujus contemplatione emissa fuit: ac alia plura, quæ, ex præmissis, à vera, & communiori Jurisprudentum sententia discordant. Propterea testamenta hæc non promovent jura Austriadum.

286. Sed enim, etsi neutrum testamentum juri Catholici Regis præjudicet, prius illud Philippi III. nec eminus controversiam præsentem attingit. Nam in eo præteritur quidem Serenissima Infans Anna, & in defectum sobolis masculorum substituitur (si sic fari licet in simili materia) Serenissima Infans Maria. Attamen casus non venit; nam Philippus IV. ejus primogenitus sobolem reliquit Carolum II. præclaræ memoriæ, nuper defunctum, ac Serenissimas Infantes Mariam Theresiam, & Margaritam; & proles Serenissimæ Mariæ Theresiæ perseverat, ad eamque spectat Catholicus Rex noster Philippus. Cum ergo Philippus III. primo vocet ad successionem Philippum IV. & ejus sobolem, & Serenissimus Rex noster soboles sit Philippi IV. ejus, scilicet, ex filia pronepos; per te-

sta-

stamentum hoc potius vocatur, quam excluditur Rex Catholicus. Nec refert, si dixerint, Philippum V. prolem esse Serenissimæ Infantis Annæ ex conjugio procedentem ipsius cum Rege Christianissimo Ludovico XIII. prolem porrò illius conjugii in perpetuum à successione exclusam esse. Nam id intelligi debet ad summum reduplicativè, & ut proles illius est, seu ex jure ipsius: non verò specificative. Alioquin si Carolus II. filios procreasset ex Serenissima Maria Aloysia Aurelianensi, priori conjuge; hi filii exclusi fuissent, quia ex illo etiam conjugio processissent; cum Serenissima hæc Heroina neptis esset ex filio secundogenito Serenissimæ Infantis Annæ. Probat hunc intellectum text. in leg. 7. §. *Si quis ff. de Senator.* ubi Ulpianus videtur in terminis eum decidisse. *Si quis & Avum, & Patrem habuerit Senatorem, & quasi filius, & quasi nepos Senatoris intelligitur. Sed si Pater amiserit dignitatem ante conceptionem hujus, quæri poterit, an quamvis quasi Senatoris filius non intelligatur, quasi nepos tamen intelligi debeat? & magis est ut debeat; ut Avi potius dignitas ei prosit, quam obsit casus Patris.* Potiori titulo dicturus, si casus fuisset Avi, & Patre restituto filius progenitus. Nunc; proles Serenissimę Annæ est etiam proles Philippi IV. quamvis ergo Serenissimæ Annæ renuntiatio ipsi noceat; Philippi vocatio, & inclusio ipsi favet. Quoadusque igitur ostendatur. prolem Philippi IV. ex filia majore descendentem fuisse consimili exclusione repulsam, nihil contra

ipsam

ipsam evincitur. Unde testamentum prioris Philip pi non est de controversia. Ac eodem responso satisfieri præservationi juris Serenissimæ Infantis Mariæ inclusæ in pactis ejusdem nuptialibus cum Augustissimo Ferdinando III. tam evidens est, ut innuisse sufficiat.

Verùm quando prædictis testamentis jus aliquod vel conferri, vel auferri posset successuro; credimus ex eis succedere debuisse, prout successit, Catholicus Rex noster Philippus. Quoniam tàm Philippi III. quàm IV. testamenta innituntur renuntiationi illi æquipollenti, vel formali exclusioni Serenissimarum Infantium: atque adeò regulanda sunt illarum dispositionum legibus. Eo magis, quò in ipsis replicatur eadem finalis causa exclusionis, quæ in pactis nuptialibus ut basis hujus dispositionis præjacitur. Ex quo consequenter deducimus, quod, deficiente in specie nostra causa illa finali unionis duorum Sceptrorum Franciæ, & Hispaniæ in una Regentis manu, cessat quævis testamentaria dispositio, sicut cessasse dispositionem illam conventionalem, suo loco ostendimus.

287. Quamvis hæc certa sint; nihilosecius evidentiorem proferre comprobationem, non piget. Hæc eruitur ex solennissima declaratione Caroli II. qui in proximo decessurus, ne Monarchia controversiis successionis divexaretur, sensum illius renuntiationis, vel exclusionis elucidavit in ultimis tabulis, sub quibus diem ultimum obiit. Fatetur ergo, animum, & intentionem, qua prædicta exclusio elicita fuit, in eo sistere,

 nè

nè duæ hæ Monarchiæ unquam copulentur, nequid aliud vel Reges, vel Regnum intentasse. Cumque Dei providentia hæc unionis occasio cessarit, multiplicata sobole Serenissimi Delphini, sui ex majore sorore, imo unici, nepotis; succesionem devolutam ipso jure fuisse ad ejus secundogenitum Philippum Ducem Andegavensium. Hæc Caroli II. declaratio, multis titulis, testamentis illis præferenda est. Primo, quia conformis legibus Regni, quibus per mille ferè integros annos succesio Hispaniarum regulata est, quibus posteriores Reges, vel Respublica sine causa legibus ipsis consona, contraire non potuerunt. Secundò, quia conformior testamentis Superiorum Regum Ferdinandi, & Elisabethæ, Caroli V. Philippi II. à quibus posteriores deflectere non debuissent Philippus III. & IV. Tertiò, quia conformis pactis nuptialibus, in quibus hæc sola causa finalis asignatur; imò nec alia subsistens poterat asignari. Unde, ea cessante, pacta ipsa in succesionem *prout de jure* resolvuntur. Quartò, quia interpretatur testamenta Patris, & Avi in sensu congruo, ut abstergat ab eis absurdum, iniquitatem, & contradictionem. Quintò, quia casus evenit post Patris, & Avi testamenta, quem fortè non præviderunt; Carolo verò experientia ante conspectum, & cõtemplationem posuit; propterea illæ dispositiones, ut abstractæ declarari debent per istam in concreto. Sextò, quia vidit casum præsentem identificari cum casibus in pactis, & in testamentis ipsis exceptis; atque

adeo

adeo deberi exceptum consimili motivo declarari. Septimò tandem, quia huic declarationi universa Monarchia, Deo certè inspirante, accommodavit consensum, & facto ipso suam fecit, suoque suffragio authenticavit. Hæc profectò motiva quanti facienda hæc declaratio sit mirum in modum ostendunt: sicut fundamentum in Regum prælaudatorum testamentis constitutum funditus evertunt, & conterunt, ni mea me fallat opinio.

288. Quàm verò legalis, aut jurium apicibus consona sit hæc declaratio, patebit, si ejus circunstantias conferamus cum his, quæ dissertissimus Jurisconsultus Hug. Grat. de jur. bell. & pac. lib. 2. cap. 16. num. 22. affert de interpretationibus restringentibus, quæ totidem verbis huic Caroli nostri interpretationi respondent. Ait ergo: *Restringens interpretatio extra significationem verborum, quæ promissionem continent, aut ex defectu petitur originario voluntatis, aut ex casus emergentis repugnantia cum voluntate. Defectus voluntatis originarius intelligitur ex absurdo, quod alioqui evidenter sequeretur: ex cessatione rationis, quæ sola plenè efficaciter movit voluntatem, & ex materiæ defectu. Primum in eo fundamentum habet, quod nemo credendus est velle absurda. Secundum ex eo, quod contentum in promissione, ubi ratio talis additur, aut de ea constat, non consideratur nudè, sed quatenus sub ea ratione venit. Tertium, in eo, quod materia, de qua agitur semper intelligenda est*

obversari animo loquentis, etiamsi verba latius pateant. Nihil, meo judicio, opportunius pro hac illustrãda Caroli restringenti vel renuntiationis, vel exclusionis, vel testamentorum interpretatione dici potuit, cujus omnia ferè capita nostræ interpretationi omnino respondent. Ea enim petitur *ex absurdo*: absurdissimum enim foret filiam excludere à successione, ubi nulla causa subest; & tamen, nisi exclusio hac interpretatione donetur, sine causa exclusa foret cum omni posteritate; quando quidem si verba solum attendamus, ita late patent; ut etiam si allegare possit, cessasse causam exclusionis, adhuc exclusa remaneat, ut vidimus §. VI. hujus posterioris partis sectionis. Petitur etiam *ex cessatione rationis, quæ sola plenè, & efficaciter movit*, & juridicè loquendo, movere potuit, *voluntatem*, quæ fuit, vitatio unionis, aut coitionis utriusque Monarchiæ in eodem Principe, quàm in specie nostra cessasse, nemo negare potest. Petitur etiam *ex defectu materiæ.* Materia enim erat subordinatio, & accessio Hispaniæ ad Franciam, Regnantium extraneitas, seu peregrinatio generis Regii, throni translatio, stemmatum, & nominis Regii postpositio, & alia incommoda, quæ Hispani cùm veteres, tùm moderni perpetuò exhorruerunt. Quæ materia defecit, ex quo proprium, peculiarem, & distinctum Regem nacti, Dei gratia, sumus. Quid quæris? Et tamen, ne aliquid intactum relinquamus, locum fuisse huic conjecturali interpretationi, quia casus testamentis supervenerit,

nec

nec à Regibus fuerit nisi in communi prævisus, docet Cardinal. Mantic. suo egregio opere de conjectur. ultimar. volunt. præsertim lib. 3. tit. 2.

289. Si malint, Regnum ejus conditionis esse, quod testamento possit relinqui, Regesque tantæ potestatis, ut successorem possint instituere; testamenta ab adversariis allegata illis non prosunt, & testamentum Caroli II. Regi Catholico favet. Non prosunt illis sua testamenta, quia etiam dato, quòd instituere possent successorem, substitutiones facere non possent, quia Successor Regnum liberum, & sine aliquo onere ab antecessore accipere debet, nec enim ex judicio antecessoris, sed ex providentia legis successor instituitur. leg. *Si ad rogatos*. ff. *de adopt*. in legitima vero hæreditate nullum gravamen apponi potest. leg. *Quoniam. C. de inofficios*. quia legitima non est lucrum testamentarium, sed debitum patrimonium. leg. *Si quis legatum*. §. *finali. C. de Codicill*. & ibi Glosf. Præterea cum successor sit æqualis cum eo authoritatis, posset substitutiones cassare, & irritare. Cum ergo Carolus II. Philippum nostrum ad successionem vocet, aut, ut cum ipsis loquamur, successorem instituat; Cæsar verò in prædictis testamentis non institutus, sed substitus sit, sanè testamenta sua nihil prosunt, refragante ipsis Caroli institutione.

290. Superest, ut illud discutiamus, quod tandem opponebant; haberi videlicet ex his testamentis intentio vera, & expressa præfatorum Regum excludendi

dendi in omni eventu prolem susceptã ex illis conjugiis à Monarchiæ successione, in favoremq; propriæ agnationis hæc excogitasse artificia. Sed ad hoc facile est expeditumque respõsum. Vel enim Reges re ipsa contendebant, prout juvat credere ex eorum pietate, ne Monarchiæ confunderentur, & ex hac intentione ad exclusionem processerunt; & in hoc casu, eorum intentio æquitate, & legibus regulata, suum sortita est effectum in successione Regis nostri Philippi; quo succedente, unio, & conmistio cessat. Vel sub obtentu hujus incompatibilitatis, voluerunt coronam in propria agnatione conservare, vel genus Francicum ab ejus successione excludere (quod credere non debemus) & in hoc casu, quia eorum intentio contraibat legibus Regni, quibus successio regulatur, & quibus ipsi excludentes admissi ad successionem sunt, parvi facienda est; quia disponebant de alieno, non de proprio; quia contra leges fundamentales; quia in præjudicium tertii; quia in effectu in odium proprii sanguinis, licet non quia proprii, sed quia cum Franco mixti. Cum ergo, si talis fuisset eorum intentio nullum sortiri deberet effectum, ut injusta, & crudelis, nec de his Principibus hæc sibi persuadere quisquam possit; congruenter, & piè eorum filius, & nepos eam conjectavit in sensu nullum absurdum continente, & legibus Regni, bonoq; publico accommodo. Et quidem cum ipsi quid intenderint, nisi per prædicta documenta jam explicare non possint, & hæc juxta leges debeant interpretari;

in-

intentio hæc juridica, & legalis est de re nostra; non privata alia, aut personalis, si illam unquam habuerunt (quod est incredibile) quæ nec probari, nec substineri posset, etiam si probaretur.

291. Prætereo nonulla, quæ contra hujus testamenti Caroli II. fidem in quorumdam errantibus foliis circumferuntur; indigna enim ea existimo, quibus respondeatur. Sanè si hujus instrumenti fides disputabilis foret; nulla legali cautela possent dispositiones humanæ muniri: liberum quippe esset, omnes falsi arguere: nulla fides Notariis, nulla testibus quantumvis qualificatis, omnique exceptione majoribus. Quis credidit unquam Regis testamentum potuisse falsari? Si Reges ultimis voluntatibus frustrari possunt; quæ fides testamentis privatorum habenda? Sed sponte sua hic indignus cavillus statim ruit. Quis vobis dixit Carolum alias disposuisse? Carolus ne ipse post mortem? Unde probatis, quod vera apparitione vobis præsentatus id affirmaverit? mortuos testes qui citat, veritatem sepeliri amat. An aliquis ex his, qui interfuerunt? proferte vel unum duntaxat, & quamvis aliorum attestatio hujus testimonium elideret; nihilominus incipiam vobiscum dubitare. Sed si nullum producere potestis, ex his qui interfuere, quis vobis credat, qui nec vidistis, nec interfuistis, & fidem non habeat tot tantisque, qui viderunt, & interfuerunt? Quis unquam Judex testes contestes de visu, & audito proprio rejecit; & fidem habuit testibus singularibus, qui nec viderunt, nec

nec audierunt, nec videre poterant, vel audire; maximè si eorum fides labari cœperit? O bellum judicium! ò novam judicandi methodum!

292. Sed ea est Dei providentia; ut in tanti momenti rebus, nedùm falsum; sed falsi etiam suspicionem præoccupet. Carolus II. ut tenerrimæ conscientiæ Princeps, post consultos totius ferè Hispaniæ viros doctiores, & graviores Prælatos, quamvis eos in hunc sensum conspirantes repererit, adhuc non quievit, utque nihil non actum relinqueret, ad sacram Ecclesiæ anchoram confugit, Summum Pontificem adivit, audivit, & sensum excepit. Videte nunc, an ultimę Caroli tabulę respondeant Pontificis Maximi Innoc. XII. judicio? facile erit conferre. Si discordant; obstrepite, clamate, irascimini: ignoscemus. Sed si consonant; ut quid authoritatem, fidem, integritatem tantorum hominum, quos vel ipsa suspicio veretur incessere, deturpare aggredimini? Satius fuisset propriam levitatem, esto serius, agnoscere; quàm tàm ruinosa, & malè sibi cohærente materia, pervicaciæ munitionem construere.

§. XI.

Feudorum Imperialium Hispaniæ accedentium successio Philippo Regi Catholico debebatur.

293. SÆpe sæpius mecum ipse cogitavi, quo motivo induci potuerint Germanici Imperii Prin-

Principes ad declarandum Imperii bellum hoc, quod re ipsa Serenissimæ Domus Austriacæ peculiare est. Quis sciat, an forsan hanc resolutionem inierint occasione Fęudorum Imperialium, quę Regibus Hispaniæ à benè multis retro annis accedūt? Autumabunt enim, quod, cum in Imperialibus Fæudis fęminæ non succedant regulariter loquendo, & Philippus V. Rex Catholicus ad fęminas Austriacas referre genus suum debeat, ut contendat horum statuum ab Imperio movētium, successionem; status hujusmodi ad SacrumRomanum Imperiū devoluti sint, subq; Cæsaris dispositione ceciderint; ac possit de eis, quem maluerit, investire. Nam si eandem renuntiationis, vel exclusionis recinãt cantilenam; eodem tono respondebimus, quo de fæudo Regio Neapolis; imo urgentiori motivo; nam quod attinet ad exclusionem renuntiationis Serenissimæ Annæ, nullum Cæsaris reperimus in ea interventum. Ideoque potius præservaretur jus hujus Serenissimæ Infantis, nisi in consequentiam veniret cum aliis statibus renuntiatis, quam infirmaretur. Sed certè hæc renuntiatio, vel exclusio, cum legibus, quas superius aperuimus, regulanda sit, nullum pro his fęudis potius quam pro reliquis Monarchiæ dominiis jus suppeditat. Reliquum igitur est, quod ex eo capite Imperium huic successioni se inmisceat, quia successio ad prolem licet virilem, ad fęminam tamen referentem jus sanguinis, devoluta sit.

294. Attamen; ex hoc capite nescio, quomodo

Augustissimus Imperator litem Catholico Regi nostro possit intentare; nam in his omnibus, si Ducatum Mediolanensẽ cum annexo Marchionatu Finalis, & Thusciæ arces seponamus, fęminas succedere, controversiam non patitur; ex quo illa per fęminam, Mariam Burgundam, unicam Caroli audacis prolem, Maximiliano nuptam, Domui Austriacæ dotalia advenerint. Serenissima ergo Domus Austriadum quo jure descendentes ex fęminis proximiores masculos titulo agnationis repellere potest, quando & ipsa non alio jure, quam ex fęminis comparato succedere possit, ut scribens de successione Aragoniæ, jam à nobis insinuata, urgebat Ancharanus? Vel quomodo nunc Sacrum Romanum Imperium hæc fæuda fęminea negabit, quo consentiente, fęmina tot retro annis adivit? Quid dixerim fęminam? Fęminæ non semel, sed pluries in hujusmodi Imperialia Fæuda successere, nec nisi per iterata conjugia coire potuerunt; quæ si quis curiosus disquirere cupiat, adeat Cæsarem Campanam in vita Philippi II. & Zamalloam in Genealogia Philippi I. insertam ultimo libro histor. Castellæ, & distinctissimè agnoscet, quibus feminarum repetitis successionibus Fæuda Imperialia Belgii, & Citerioris Germaniæ ad Austriacam Gentem corrivarint.

295. Ducatum Mediolanensem triplici jure successoribus suis in Regno Hispaniæ Carolus V. perpetuò aggregavit, sive masculis, sive fęminis. Primo, quia armis, & impensis hujus Regni bis Sfortiæ familiæ assertus

sertus fuit. Secundo, ex testamento Philippi Mariæ Vicecomitis, qui decedens sine legitima prole hæredem instituit Alphonsum Aragoniæ, & Neapolis Regem, quamquam hic magnanimus Princeps, aliis curis distentus, & jura sua persequi impeditus, locum fecerit Francisco Sfortiæ Attendolo, qui Blancham Mariam ejusdem Philippi filiam naturalem duxerat, avitum Ducatum armis, & arte vindicandi. Tertio, ex testamento Francisci Mariæ ultimi ex Sfortia Gente Ducis, Carolum hæredem instituentis. Cumque Cæsar, his juribus deficientibus, potuerit de eo investire, quem maluerit; illis fultus, & Cæsarea authoritate, qua fungebatur Carolus, potuit illum Coronæ Hispanicæ, cujus præcipuè impensis bis fuerat quæsitus, perpetuò unire, prout univit. Quando ergo Augustissimus Leopoldus se ostendat verum in Sceptro Hispano successorem Caroli II. tunc irrefragabile jus in hoc statu nancisceretur; sed hoc, cum jura ipsi refragentur, impossibile est; consequenterque illud desperata res erit.

296. Sed si devolutum ad Sacrum Romanum Imperium velit hoc fæudum ex masculæ prolis extinctione, vel ad ejus lineam, lege agnationis: neuter titulus ipsi favet; non hic secundus; ut ab eo incipiamus, quia Serenissima Domus Austriaca nō descendit à Carolo V. vel à Philippo II. ejus filio primis investitis nisi per fęminam, cum genus referat ad Ferdinādum I. non descendentem, sed Fratrem Caroli; descendunt igitur Austriades à Carolo per Imperatricem Mariam uxorē

Maximiliani II. & à Philippo II. per Imperatricem, itidem Mariam, ejus ex filio neptim: Leges ergo agnationis servatæ in aliis Germaniæ fæudis quoad hunc Ducatum non favent Augustissimo Leopoldo.

297. Nec etiam primus: Nam hic Ducatus, sicut alia Fæuda Imperialia Germano Belgica, Francum, ut Feudistæ loquuntur, fæudum est. Porrò, esto disceptatum fuerit, num fęminæ in fæudo franco succedant? & partem negativam multi tenuerint, quos citat Henric. Rosenthal. in tract. de fæud. cap. 7. concl. 33. nu. 17. Communior tamen sententia pro fœminis decidit, pro qua Rosenthal. ipse in addit. cap. 1. conclus. 54. lit. P. enumerat viginti octo Doctores; & Camill. Borell. tit. 4. de fæud. num. 177. & 195. insuper num. 203. & 207. allegat triginta tres. Joann. vero Andr. Georg. in repet. fæud. cap. 51. num. 27. recenset triginta sex. His si addatur Rot. decis. 41. prim. part. divers. & decis. 1105. apud Seraphin. p. 2. hanc sententiam, juribus, & authoritatibus pensatis, esse longè probabiliorem contraria, dubitari vix potest.

298. Præterea quod fæudum (si fæudum est) sit omnino francum, constat ex eo, quod Dux Mediolanens. habet omnia Jura Regalia, & Fiscalia, & potest in suo Ducatu quod Imperator in Imperio; gaudet enim prærogativa leg. *Benè à Zenon. C. de quad. præscript.* ut ait Muscul. tom. 1. commun. opinion. lib. 1. tit. 17. num. 25. Vivian. lib. 3. tit. 11. num. 72. versic. *Mediolan.* Mascard. de probat. concl. 139. Menoch. consil

consil.307.num.1. Anton.Oliban.de jur. Fisc. cap. 3. num.79.Curt.Junior.consil. 1. num.29. & consil. 61, num. 10.& consil. 106.num.3.Roland.cons.88.n.27. volum.1. Dec.consil.41.num.1.& 2.vol.2. Surd.consil.210.num.22. Peregrin. consil. 2. num. 36. Quod adeò verum est, ut ab ejus Senatu nulla ad Imperium detur appellatio, Scacc.de appellat.q.16.limit.4. num. 6. Sed cessat omnis difficultas, ex quo in investituris Caroli, Ferdin. Maximil. & Rodolp. expressè fœminæ ad hujus Ducatus successionem vocantur, ut ex ipsis patet perspicuè.

299. Consultò diximus, si fæudum est. Nam si hujus nobilissimi Ducatus natales altius repetamus; non negabimus, cum partem fuisse antiquioris Romani Imperii, quem cum aliis Italiæ Provinciis Ostrogotthi, & Longobardi subtraxerunt; vindicatum, post devictum,mortuumque Desiderium, à Carolo Magno. Cæterum si specialis illius regiminis exordia, progressus, & statum contemplemur; consulamusque nobiles Italiæ Scriptores Jacob. Philipp. Bergomat. D. Antonin. Paul. Jovium, Ripamont. & alios; plura inveniemus, quæ ejus ingenuitatem, & solum specie tenus dependentiam ab Imperio persuadeant. Primo enim,certum est circiter annum 1022. ipsam Rempublicam se subduxisse Imperii regimini, Principemque creasse Heliprandum ex Principum Angleriæ genere; qui armis Mediolani libertatem asseruit, & sine investituræ charta ad posteros transmisit usque ad Gualvianum,

quo

quo improli moriente, Respublica ipsa Aristocratiam introduxit, quæ 52. annos perseveravit, fortè nunc perseveratura, ni Joannes Turrianus qua ingenio, qua armis Patriam sua libertate spoliasset. Ejus tyrannica vestigia presserunt tres ejusdem familiæ Principes. Sed, his extinctis, Ottho Vicecomes, ex veteri Anglerienfi sanguine, Archiepiscopus Mediolanensis, dominium temporale populi suffragiis comparavit, pluribus annis prudentissimè administravit, & ad suam Vicecomitum familiam successibile, vel hæreditarium transmisit, sub titulo Dominorum.

300. Has varias, & alternantes vel ethnarcarum, vel Aristocratiæ, vel Tyrannorum vicissitudines expertus est hic status absque aliquo vel positivo, vel contrario Imperii influxu; nullius enim superfuit in historiis vestigium, vel alterius ab eo dependentiæ; nisi quod tempore procedente, & Ducum succrescente potentia, Imperatoris vicaria munia per uuiversam Italiam ipsis commissa sunt; & quod Joannes Galleazius Vicecomes, qui suum dominium per universam ferè Lombardiam, & AEmiliam distenderat, angustum nomen *Domini* dilatato Principatui minus bene respondere putans, ab Imperatore Vvenceslao Ducis titulum impetravit. De cætero, à Vicecomitibus ad Sfortias Ducatus jure armorum potius quam sanguinis traductus est, nec ad nitente, nec renitente Imperio. Unde plures ex allegatis nuper Authoribus absolutè negant Imperii fæudum esse.

301. His

301. His de causis semper crediderunt Duces Mediolani, se posse libere disponere de Ducatu, deficiente prole; prout fecit Philippus Maria in favorem Aragonii Regis, & Franciscus Maria in favorem Caroli V. Quod certè non attentassent, si Ducatum hunc præseferre à Germanico Imperio eas dependentiæ leges, quibus alia fæuda non franca subjacent; autumassent. Cumque in hujusmodi fæudis fœminæ sint succedendi capaces, ut probavimus; non est, unde possit Regi nostro Philippo successio controverti.

302. Historiis omnium Nationum linguis loquentibus proditum est acerrima bella, quæ Hispanos Francosque tandiù super successione hujus status divexarunt, temporibus Ludovici XII. Regis Christianissimi, & Francisci I. ex una, Ferdinandi Aragonii, & Caroli V. cum Stortiis ex alia partibus, nullam originem habuisse aliam, à fœminea hujus status successione. Nam Ludovicus, & Franciscus, ut descendentes ex Valentina filia Joannis Galleazii, quæ nupserat Ludovico Aurelianensi, filio secundogenito Caroli V. Regis Christianissimi, contendebant successionem ad se devolutam esse, jure Valentinæ, exclusis Sfortiis, qui ad Blancham Mariam Philippi Mariæ non justam sobolem, genus referebant; & tamen utraque præterita fuerat, ut refert Guicciardin. lib. 4. & Sleidan. lib. 10. Quomodo ergo Imperium titulo intermissæ fœminæ poterit Regi Catholico hanc successionem disputare, quæ, Imperio ad partes eunte, inter descendentes

tes ex fęminis tandiu disceptate est?

303. Sed quamvis omittamus hujus Ducatus antiquas prærogativas, quisnam locus disceptandi superest, ex quo Carolus V. eum indissolubili vinculo cum Regno Hispaniarum copulavit? Ipse, sive, ut hæres Alphonsi Aragonii, sive ut hæres Francisci Mariæ Sfortiæ, sive ut Imperator potuit hanc unionem facere, & ad hujusmodi Ducatum vocare suos hæredes, tam mares, quam fęminas, & successores in Regno Castellæ, prout vocavit, sequentibus Cæsaribus Ferdinando, Maximiliano, & Rodolpho confirmantibus istiusmodi vocationem, poterit ne Imperium hanc unionem, quam (si ad ipsum spectabat) tot annis probavit, suscepit, agnovit, non redarguit; modo, quia Philippus V. Hispaniarum successor est, post liminio impugnare? Potest quidem, sed eo eventu, quo jure. Similes sunt uniones Munitionum, ut dicunt, Thusciæ; unde nihil de eis superest subjungendum.

§. XII.

Ex premissis eformatur argumentum negativum pro successione Regis Catholici.

EX dictis hac secunda Sectionis parte eruitur argumentum negativum pro Catholici Regis nostri Philippi successione, quod sub hac formula confici potest. Id circo non spectaret successio ad Catholicum Re-

Regem Philippum, vel quia renuntiatio hæreditatis emissa à Serenissima Infante Maria Theresia, Regina Franciæ, ejus Avia, ipsi obstaret; vel quia obstaret æquipollens renuntiatio juris succedendi in Dominiis paternis resultans ex exclusione facta à Rege Catholico ejus Genitore, pacto convento cum Rege Christianissimo, ab eadem approbata, ratificata, & jure jurando roborata, ex causa publica, & in vim legis à Comitiis Regni Castellæ admissa, tandemque à Sede Apostolica promota, & acceptata. Sed nihil horum obstat ejus successioni; ergo, cum aliundè per leges invitetur, debuit succedere Carolo II. in Hispanica Monarchia. Mai. complectitur causas omnes, quibus contrarii eum à successione dispellere contendunt. Minor, ad quam devolvitur difficultas, probatur discurrendo remissive per singula.

304. Primo: non obstat renuntiatio hæreditatis emissa à Serenissima Avia. Quia ut vidimus §. 1. hujus secundæ partis, in hac Monarchia non succeditur jure hæreditario. Et quamvis succederetur, hæc hæreditas ut pote individua, & singularis non caderet sub renuntiatione. Etsi caderet, non impediret, quominus succederet ex testamento, maximè extinctis omnibus masculis, & fœminis ejusdem lineæ, & gradus; ergo cum Philippus V. fuerit vocatus ex testamento Caroli, & jure sanguinis, ac legis providentia; prædicta renuntiatio nihil potest operari.

305. Secundò: non obstat exclusio facta per Re-

gem Catholicum ejus Genitorem, pacto convento cum Rege Christianissimo, ex dictis §. II. quia Reges nequeunt disponere de jure successionis, illud alterare, uni præripere, & alteri dare; atque adeo hæc exclusio nullam vim habet. Nec ex approbatione, ratificatione, & juramento Serenissimæ illius Aviæ potuit convalescere, ex dictis §. III. Nec illa renuntiatio æquipollens ex his omnibus resultans potuit obesse, ex dictis §. IV. Quia non poterat posteris auferre, nisi id solum, quod ab ea ipsis posset derivare. Præterea ex dictis §. V. constat, hanc æquipollentem renuntiationem substineri solum debere in casu legibus fundamentalibus cohærente, non in casu nostro, quia à prædictis legibus exorbitat; & in quo cessavit causa ipsa legibus insinuata ex dictis §. VI. & quia prædictus casus fuit æquivalenter in ipsa dispositione exceptus ex dictis §. VII. Atque adeò à prædicta exclusione, vel renuntiatione, ut cumque consideretur, nihil depromitur, ne dicam adversum, sed Regi Catholico ad hujusmodi successionem non favens.

306. Tertiò: non obstat, quod renuntiatio Serenissimæ Aviæ fuerit capitulata insimul cum tractatu pacis Pyrenæi, & hic approbatus à Summo Pontifice; quia ex dictis §. VIII. approbatio Pontificia non cecidit super articulos matrimonii, sed super pacis articulos, & quid hæc approbatio operetur, ibi discussum est. Rursus quando expressè caderet super fœdera matrimonii, non obstaret ex motivis ibidem productis; nec

etiam

etiam obesset successioni Regni Neapolis, licet feudum sit Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ex adductis §. IX. Unde ex his capitulis successio Catholici Regis nullatenus infirmatur: multoque minus ex Regum testamentis, ex probatis §. X.

307. Demùm; Quoad alia fæuda Imperialia, in quibus Rex Catholicus successit in consequentiam Monarchiæ, dictum est §. præcedenti, & vidimus, nec ex eo, quod fæuda Imperialia sint, excludere successionem feminarum, vel masculorum ex feminis descendentium; consequenterque jure optimo, & ineluctabili in eis Catholicum Regem successisse. Hæc omnia nedum probabilibus doctrinis ostendimus, sed longè probabilioribus. Et tamen ut proles Serenissimæ Infantis Mariæ Theresiæ excluderetur à jure succedendi, deberet validitas exclusionis evidentissimè probari. Et ratio est manifesta: quia proles Serenissimæ Infantis habet fundatam intentionem succedendi in jure communi Regni Castellæ, & Aragoniæ; unde non tenetur probare; leges enim pro ipsa probant vocantes expressè, in defectum masculi, filiam natu majorem, & ejus prolem in infinitum: idcircò onus probandi rejicit in Austriacos; qui nisi evidenter probent exceptionem; semper pro ipsa Serenissima vocata, & ejus posteritate debet pronuntiari. ex leg. *Nuptura* ff. de jur. dot. illis verbis. *Nisi evidentissimè contrarium probetur*. leg. *libertas*. §. *final* ff. *de man. test.* ibi. *Nisi aliud sensisse Patrem familias manifestissimis rationibus probaveri-*

rit.leg.*si plures*.ff. *de vulg.* illis verbis. ***Nisi alia fortè fuerit mens testatoris, quod vix credendum est, nisi evidenter fuerit expressum.*** Quia qui habet contra se jura, præsumptiones juris, aut juris regulas, oneratur durioribus probationibus, ut tradunt Alberic.& Fulg. per textum in leg.*si extraneus*.*ff. de condict. caus. dat.* & ibi Jas.num.15. regulæ enim non eliduntur per dubias probationes, & conjecturas, & multo minus jura ipsa, juxta doctrinam Bald.in leg. 2.*C.de bon. possess.secund.tab.* num. 5.& in leg. *precibus.* num. 23. *C. de impub.*

308. Ex quibus infert satis opportunè D. Ludovicus Molina de Primogen.lib.3.cap.4. nu.37. Quod lites super exclusione, vel admissione fęminarum ad successiones, triplicem possunt habere statum. Nimirùm, vel justitia est clara ex parte masculi remotioris contendentis exclusionem, vel è regione est clara ex parte fœminæ contendentis inclusionem; vel dubia. Masculus, vel contendens exclusionem, solùm in primo casu perspectæ, & evidentis justitiæ, vincere potest: fęmina verò, nedum quando ejus justitia clara est, & perspicua; verum quando res est dubia, anceps, & obscura; ex eo nimirùm principio, quod cum ejus intentio in jure fundata sit, semper ac non constat de exclusione; constat de inclusione. Ideoque adversarius cogitur exclusionem evidenter probare. Quando igitur solùm probabiliter objectiones Austriadum, agentium ad exclusionem prolis per leges expresse inclusæ,

di-

diluerentur; evidenter ostenderetur justa successio Regis nostri Catholici. Quanto magis cum objectiones adversæ nedum probabiliter, sed probabilius, imo ferè evidenter rejectantur?

309. Si ergo causa Austriaci belli hæc successio est, qua cadere in Astreæ judicio Augustissimum Leopoldum necesse foret; quid mirum, Deo moderante, belli eventus, cadat etiam in Martis theatro? Milites enim accivit, quos non armavit justiria; sed ratio status; non zelus; sed æmulatio, non exaltationis Domus Austriacæ desiderium; sed Franciccæ depressionis anhelus; ab hac causa, ab his auxiliariis copiis, quid boni sperari potest? Sperari poterit illud Propertii,

Frangit, & attollit vires in milite causa,
Quæ nisi justa subest, excutit arma pudor.

Tandem ad milites Catholici nostri Regis Philippi sive proprios ex Hispania, Italia, Belgioque descriptos; sive subsidiarios à Christianissimo vereque Maximo Rege Ludovico providè missos, cõvertentes sermonem, ad magna eos excitare gestimus, & gloriosas victoriæ palmas demesuros confidimus, illud Thesei, apud Papinium, eorum auribus si accinamus.

Ite alacres: tantæ, precor, confidite causæ.

SE-

SECTIO III.

Injustitia Belli Austriaci ex parte finis comprobatur.

AD postremum justi, vel injusti belli characterem properamus, quem ex ejus fine contemplabatur Lipsius. Ea enim bella, quæ à legitimo Authore indicuntur, ex justa causa, ex justo fine, justa diffinienda sunt. E perversò, quibus justus deficit authör, latrocinia; quibus justa causa non subest, violentæ prædationes: quibus autem, reliquis concurrentibus, finis justus non adest; bella quidem erunt, sed gentili furore illata, non more Christiano gesta. Bella dixi: quia injusta etsi sint, non tamen eà injustitiæ specie, ut justitiæ strictè dictæ adversentur; aut restitutioni obnoxia sint; sed latioris injustitiæ labe inficiuntur, eo sensu, quo injustum, aut iniquum dicimus quidquid à Christianarum virtutum regulis deviat. In hac acceptione quod vis peccatum injustitia est, iniquitas est, & peccator injustus, ac iniquus audit; legem vero custodiens justus dicitur. Sic capitur ab Interpretibus Sacris illud Christi apud Matth. cap. 6. *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum, &c.* & cap. 7. *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus.* Sicque intelligenda est descriptio illa justitiæ tradita à D. Anselm. in dialog. veritatis cap. 23. scilicet,

cet, *Justitiam esse rectitudinem voluntatis propter se servatam*: quod ignorasse non videtur Marc. Tull. Siquidem lib. 1. de legib. *obtemperare legibus*. justitiam existimavit.

Hac injustitiæ tabe afflatum bellum, quod Augustissimus Cæsar intulit Catholico Regi nostro Philippo, pergimus ostendere, sed contractiori oratione, levivè calamo; quia licet præcipua belli justi lex sit, quod ex recta intentione assumatur; ut observat noster insignis Sacror. Canon. Salmanticensis Vesperarius D. Emmanuel Gonzal. Tell. in cap. *Sicut. de jur. jurand.* num. 8. Quia tamen deordinatio quoad hanc partem, si reliquæ justi belli conditiones constiterint, potius Authoris, & ejus Subditis, quàm his, in quos bellum tendit, nocumentum pariat, & injustitiam præseferat; non est cur circa hanc partem tandiù immoremur. Eo maximè, quò si reliquæ leges non assistant, sicut præsenti bello non assistere; imò potius resistere, ex hucusque dictis satis superque constare credimus; per ipsas, justitiæ strictius acceptæ, tramites violatos nemo dubitat; nec recta alioqui intentione (si posibliis esset) bellum unquàm honestari, vel restitutionis impensarum, ac illatorum damnorum onere, ejus Authores exgravari possent.

§. I.

§. I.

Injustum bellum Austriacum ex fine; quia in eo justi belli finis desideratur.

310. Bellorum finis, qui ipsis intraneus dici potest, populorum salus, tranquillitas, pax, & fœlicitas est. ex *cap. noli. cap. quid culpatur.* 23. *q.* 1. Hoc elegantissimè depingit Alciatus Emblem. 177. cujus epigraphe. *De bello pax.*

Arma procul jaceant; fas sit tunc sumere, quando
Pacis non aliter quis valet arte frui.

Id apertè tradiderat Tull. 1. de offic. laudatus ab eodem Lipsio lib. 4. cap. 4. propè finem. *Ita bellum suscipiatur, ut nihil aliud, quam pax quæsita videatur;* Vellem, edisserant mihi Austriaci Juris propugnatores, an hujus cruenti, & huc atque illuc funestè salientis, belli hic sit finis, ut per eum pax quæratur? Ego enim, nisi desipiam, per ipsum pacem quæri, non animadverto, sed bellum, & bellorum perennem dixerim scaturiginem, quod suis anulis universos Europæ Potentatus sensim illigat, & concatenat, ac futuris Principibus feracia discordiarum semina relicturum, nullus dubito.

311. At jam eos respondentes audio, nullum alium tanti belli finem esse, præter unam pacem, sed citra injuriam. Non enim bellum suscipiendum est,

ut

ut per illud pax probrosa, inhonesta, & propudio plena comparetur; sed honesta, decora, utilis, qualis decet maximum Orbis terrarum Principem Leopoldum Cæsarem: qualemque expressit Tull. idem, loco superius allegato: ***Suscipienda bella sunt, ut in pace sine injuria vivatur.*** Quis (inquiunt) non diceret terram, propudiosam pacem, qua Cæsaris arma quiescerent, silerent classica, interim Philippo Andegavensium Duce Hispanica Monarchia, quæ per utrumque emisspherium, aut totam terrarum peripheriam ramos suos protendit, tranquillè, & impunè potito, Austriacis avulsa, abrepta? Profectò hæc pax, non pax, sed ignavia; non quies, sed inertia dicenda foret. Ut in pace vivat, arma excitavit Augustissimus Cæsar; sed postquam generi suo vindicaverit sceptrum tot Regnorũ, quæ vel Francorum astus, vel quorumdam Hispanorum fraus, vel Caroli decessoris syntexis, uno ictu Augustæ Austriadum Domui ex tempore arripuit.

312. Vidisti, candide Lector, & contulisti in præcedenti Sectione Jura Augustissimi Cæsaris cum Juribus Catholici nostri Philippi, & mecum, ni fallor, judicasti, longè probaliora motiva à Philippo stare; sed quamvis minus probabilia forent, re tamen ipsa probabilia; cum à Cæsare evidentia non stent, (loquor de evidentia, quam materia patitur) adhuc pro Philippo evidenter vocato, & incluso decidendum fore. Sed ponamus modo quod jura sunt in æquilibrio, seponamusque cætera omnia, que lancem Philippi suo pondere

Zz deor-

deorsum flecterent: putas ne Austriace, posse Cæsarem, Hispania reluctante, aditum ad solium Serenisſ. Archi-Duci Carolo (quem celsioris Imperii dignum non negamus) comparare, sive Mediolanum viribus, sive Neapolim defectione, sive Castellam classe, sive Cathaloniam proditione, sive Belgium copiis subsidiariis, semel, & iterum, terque, quaterque tentet? Si hoc tibi persuades, statum Europæ ignorare videberis; vires Christianissimi Regis perspectas non habes; Cæsaris potentiam, tot bellis fessam, perperam, dimetiris; & Hispanorum in semel concepto proposito nobilem obstinationem non comprehendis. Sed ab experientia edoceri non te pudeat. Vidisti, (nec id negare audebis in totius Europæ conspectu) vidisti, inquam, superioribus annis Regem Christianissimum, ne dùm restitisse, verùm, & malè mulctasse Cæsarem, Hispanum, Anglum, Bavarum, Sabaudum, Geusios, aliosque fœderatos Principes; plures egregia obsidione difficillimas arces cepisse, plurimaque prælia gloriosè superasse; huicque bello ex voto pacem successisse, quam fortè nec iniquis quidem conditionibus fœderati impetrassent; nisi oculatissima providentia huic, quod modò gerit, bello longè anteviso, integram potentiam reservare maluisset. Vidisti quavis æstate bis centum mille pedites, equitesque eodem tempore, diversis in locis, disciplinatissimæ militiæ, in acies ordinatos produxisse, totidem in arcibus retentis præsidiariis: semperque phalangas Francicas tot insimul Principum

cohortibus superiores fuisse. Vidisti, non sine admiratione, tot militibus, tanto equitatui, nihil unquam vel stipendii, vel annonæ, vel pabuli, vel rei militaris, desideratum; cum è contra fœderatorum copiæ, perendinatis stipendiis, multum egerent. Vidisti Anglos, & Hollandos sic bellum administrasse, quasi sua referret & Cæsaris, & Franci, & Hispani Regum contritio; vel potius bellum fovere, quàm decidere; æquè ab his, & & ab illo sibi metuentes. Hæc vidisti, & expectas, posse Cæsarem his subsidiis, Hispanis Philippo suo usque ad focos, & aras devinctis, Serenissimo Archi-Duci Hispanum diadema conquirere? Si id expectas, dicam te fidem Abrahæ e perversó æmulari, qui, Apostolo teste, *credidit in spem contra spem*.

313. Ut Augustissimus Cæsar hanc, quam desiderat, pacem posset hoc bello redimere, multo ante illud salutare Vegetii monitum de re militari, in prolog. lib. 3. *Qui desiderat pacem, præparet bellum.* amplecti debuisset. Non dixit, qui desiderat pacem, inferat bellum, sed præparet; bellum namque multo ante, quàm inferatur, præparari debet, prout Rex Christianissimus ab annis præparavit; scilicet militem conscripsit, copias continuò exercuit, ærarium replevit: in bellis enim denarii tàm necessarii sunt, quàm motui animalis musculi, aut nervi; Duces delegit, annonam, & omnia impedimenta præparavit: alioquin non propriis, sed subsidiariis copiis, & alienis stipendiis militantibus, bellum gerere, necesse erit, à quibus nihil

hil boni licet sperare. Sed quid nobis cum Vegetio; quando Christus Dominus hoc militare dogma supponit, ut certissimum hujus facultatis principium, ex quo argumentari fas est? *Quis Rex*, ait apud Luc. cap. 14. *icturus cõmittere bellum adversus alium Regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se: alioquin, adhuc illo longè agente, legationem mittens rogat ea quæ pacis sunt*. Nec illud *sedens* mysterio vacat. quasi innuere voluerit, non satis esse, hæc perfunctoriè, aut aliud agens, considerare; sed ex proposito contemplari, & dimetiri, tantoque negotio totum animum intendere, ne si sine proprio milite, seu totus auxiliariis innixus, bellum aggrediatur, & vincens, & victus majestatem ludibrio exponat; victus; quia propriis non alienis viribus fidere debebat; vincens; ne ad occupanda expugnata loca novo bello opus sit cum subsidiariis ipsis, quibus integrum erit ea sibi retinere, sub impensarum obtentu.

314. Fateor, Augustissimum Cæsarem non potuisse ad tantum tamque imminens bellum se, ut par erat, accingere, & præparare; cum bellum Turcicum, & quod ipsum excepit, Francicum, ærarium depastum fuerit, vel potius exhauserit. Fateor; sed nemo propterea laudabit, quod sine proprio ferè milite velit hanc causam cum potentissimis Regibus armis disceptare. Nemo probabit prudens, quod filiam privaverit hac potentissima Monarchia, quam, mediis nuptiis à Carolo

rolo II. consultissimè statutis, ipsi asserere, poterat (satis de re Domus Austriacæ: siquidem hoc medio jugis cum Hispano Imperio vivebat communicatio) ut filii difficilem, & alea plenam spem foveret cum gravissimo totius Europæ incommodo. Nemo Religiosus non aversabitur, quod aures porrexerit Ecclesiæ inimicis, qui cum ipsi blandiuntur, quæ explere nequeunt, polliciti; unionem inter tres istas Catolicas Potentias Cæsaream, Francam, & Hispanam præfocare ambiunt; quæ si coalesceret, foret hæresum, & hæreticorum jugulatio, & exterminium. Nemo, qui Historias Europæ evolverit, non mirabitur, quod exaltationem Domus suæ illis credat, qui nihil aliud enixius moliti sunt à multis retro annis, quàm ejusdem depressionem: Qui ut eam certius, faciliusque assequerentur, facti jam Europæ arbitri, Monarchiam Hispanam, adhuc superstite Carolo II. sectivam fecerunt, & in partes discindere intentarunt. Hoc profectò bellum ad honestam, ad justam, ad decoram pacem assequēdam nunquam meo judicio deveniet, imò, moraliter loquendo, nec devenire poterit: ut propterea proprio, & intraneo fine frustretur.

§ § § § § §
§ § § § §
§ § § §
§ § §
§ §
§

§. II.

§. II.

Injustum bellum ex eodem capite, quia sine spe fructus, propriis Subditis nimiùm præjudiciale.

315. HOc unum adversarii concedant necesse est, & concessuros esse non dubito; scilicet, Augustissimum Cæsarem probè novisse, antequam hoc bellum aggrederetur, difficillimi exitus fore, immensosque sumptus requirere: At hoc satis est, ut bellum hoc, etiam si ex justa causa illatum esset, injustum adversus proprios Subditos deprehendatur: qui subjacere compellentur extraordinariis gravissimis oneribus, & exactionibus pro bello, quod sua non interest, sive Princeps finem intentum assequatur, sive non, sed multo magis quando finem assequendi nulla spes est. Princeps igitur priusquam bellum inferat, etiam perspecta causæ justitia, considerare maximopere debet, num bellum confici possit, & ad optatum finem perduci sine gravaminibus Subditorum, quando non pro eorum defensione suscipitur; sed pro privatis juribus vindicandis. Nam si finis haberi nequit absque gravibus Subditorum oneribus, & detrimento, etiam si aliundè justum sit, debet ab eo abstinere, (quanto magis, si sit injustum, vel solum probabile jus persequatur) ne in propriam Rempublicam, propriosque Sub-

di-

ditos, quorum bono communi prospicere debet, delinquat, & injustus sit.

316. Hoc ex communi sententia statuit P. Ludovic. Molin. de just. & jur. disp. 107. sub lit. B. his verbis. *Illud etiam est animadvertendum, Principem in bello inferendo non minus posse esse injustum adversus suam Rempublicam, quàm adversus alienam, cui illud inferre parat. Eaque de causa non solum esse illi attendendum, an habeat justam causam adversus alienam Rempublicam, sed etiam an injustus sit adversus suam hujusmodi bellum movendo. Etenim si prudentis arbitrio tale bellum futurum est in detrimentum maximum suæ Reipublicæ, quia vires non habet ad superandum, vel quia cum modico suæ Reipublicæ, bonique communis emolumento subditos suos maximis periculis, & detrimentis exponet, redditus publicos in eo consumet, Rempublicam novis tributis, & exactionibus gravabit, &c. Sanè culpa erit lethalis contra justitiam adversus suam Rempublicam ejusmodi bellum suscipere: si commode ab eo posset abstinere. Respublica namque non est propter Regem; sed Rex propter Rempublicam, ut illam defendat, administret, & gubernet, non ad suum arbitratum, vanitatem, & commodum, sed ad Reipublicæ commune bonum: quo fine adductæ gentes præfecerũt sibi Reges, ac Principes, atque eis id jus quod habent, potestatemque tribuerunt.* Hucusque Molina. Modo æquus arbiter dijudicet, quodnam emolumentum

asse-

assequentur Regna Hungariæ, & Bohemiæ, Austria, Stiria, Carinthia, &c. Sive Serenissimus Carolus succedat, sive non, in Monarchia Hispana? & quot extraordinariis exactionibus, & oneribus subjacere necesse sit, ad hoc bellum substinendum; quin ipsis affulgeat, vel minima utilitatis spes. Imò occasione ab hoc bello sumpta Ragozziani perduelles. vel seditiosi status prædictos incursant, populantur, divexant: & facilè concludet, etiam quando justa subfuisset causa, satius fuisse ab hoc bello abstinere in gratiam subditorum, quàm cum tanto eorum dispendio intulisse, & prosequi, præsertim, cum honestisimè abstinere potuisset.

317. Sed quomodo (inquis) potuisset Augustissimus Cæsar commodè ab hoc bello abstinere? hæc enim est Molinæ conditio, ut reum læthalis culpæ constituat Principem, qui in magnam Subditorum jacturam bellum suscipit. *Culpa erit læthalis contra suam Rempublicam ejusmodi bellum suscipere, si commodè ab eo possit abstinere.* Hoc opus, hic labor est. Videt Monarchiam Hispanam à propria agnatione avulsam, ad æmulam familiam traductam, & poterit commodè abstinere? Posset commodè, posset utiliter, posset decorè, si magis pater, quam Austriacus haberi voluisset: si, prout Carolus II. fecit, agnationis amorem justitiæ, publicæ tranquillitati, & subditorum incolumitati litare maluisset. Enim verò, si Cæsar se patrem meminisset, non Austriadem; quid sua interesset

esset, regnarent in Hispania sui ex filio, quàm ex filia nepotes? planè nihil. Nam ea agnationis suspirata conservatio, Austriaci nominis perennitas, mundana gloria ex virilis seminis continuatione resultans, quædam sunt potius phantastica sensus idola; quàm veræ perpetuitatis monumenta. Numquid periit gloria Pelagii, quia sceptrum ad prolem virilem Alphonsi I. Ormesinda transvexerit? Obliterata forte sunt Alphōsi ejusdem, & posterorum gloriosa facinora, quia ad Navarræi generis viros Sanctia sceptrum suo conjugio transtulerit? Sepulta ne est Ferdinandi I. memoria, quia ejus neptis Urraca suis nuptiis Burgūdorum Comitum sanguinem tot sæculis in Castella regnare fecerit? Alphonsi Raymundi conquisita trophæa, Ferdinandi Sancti vindicata Regna, Ferdinandi Aragonii adauctæ Provinciæ, excidere memoria, quia per Joannam Austriades eorum loca subiere? Sicut ergo aliarum gentium masculinitas superiorum Regum nomina tumulare potis non fuit; nec Francigenarum virilitas partæ ab Austriacis gloriæ aliquid detrahere poterit. Constant, semperque constabunt aliis egregia gesta, quantumvis sceptrum per mille stirpes discurrat. Cæteroqui, interesse Domus Austriacæ melius cōsultum esset nuptiis pacatissimis Serenissimæ Archiducissæ, à Carolo II. commendatis, à Christianissimo Rege gratanter admissis, à Catholico postulatis; quam turbida successione Serenifs. Archiducis; ex hac bellum acre, diuturnum, & funestum imminebat, cui juxta

præsentem rerum constitutionem, nec Hispani soli, nec Austriacis conjuncti, nec fœderatis hodie Principibus colligati, repellendo satis erant. E contra verò, eo celebrato connubio arma Regum Christianissimi, & Catholici semper Cæsari præsto fuissent, vel ad Hungaros perduelles edomandos, vel ad Europæ Provincias, quæ Othomano subsunt, barbaro jugo subducendas; in quibus gloriosius, securiusque sceptrum posset Serenissimo Archiduci asseverari. O quanta Europæ Catholicæ gloria derivasset, nisi misera catastrophe sanctissimam Caroli II. intentionem pervertisset!

318. Hæc tam perspicua sunt; quod pateant (ut fertur) lippis etiam atque tonsoribus; consultissimè igitur, & commodissimè Augustissimus Leopoldus ab hoc bello abstinuisset: prudentissimum enim est, quando per bellum obtineri moraliter id, quod in votis est, dicamus etiam in jure; non potest; arma continere; sicut prudens Imperator non minori gloria prælium excusat, ubi & copiarum numerus, & situs inæqualitas exitum infelicem certò ominantur; quàm ubi victoriam spondent, illud committat; alioquin partem gloriæ reputare, pugnare sine victoriæ spe, vanam, & inutilem gloriolam dicam, cui perbelle congrueret celebris illa Tertullian. sententia, lib. de pudicit. cap. 2. *Malo nullum bonum, quàm vanum. Quid prodest esse, quod esse non prodest?*

§.III.

§. III.

Ex eodem capite injustum bellum, quia fine frustrari, necesse erat, Hispanis repugnantibus prætensæ Cæsaris successioni.

319. Exculpandum aliquatenus foret hoc bellum, si Augustissimus Cæsar illud fuisset aggressus, sub certis documentis, quod Hispani Proceres, Regna, Provinciæ, Civitates huic Catholici Regis Philippi successioni ex animo refragarentur, quamvis externis suffragiis, tempori servire compulsi, declarationi Caroli II. subscripsissent. Tunc enim, cum bellum non tàm ab extrinseco inferretur, quàm ab intrinseco pullularet, spem aliquam certiorem boni eventus posset ingerere. Sed e contra res se habuit. Nam Catholicus Rex noster Philippus ad successionem juribus sibi debitam, & testamento Caroli II. adjudicatam, libentissimè, & ex animo fuit invitatus, ex corde exceptus, ex mente acclamatus, & singularissimis plausibus ad avitum culmen evectus. Nec alicujus internæ repugnantiæ, aut aversionis, vel levia specimina produci possunt. Id quod palàm convincit fuga arrepta à paucis illis, qui ex privatis motivis, non ex publica causa, dissensisse deprehenduntur. Nam si semen aliquod discordiæ internæ cognovissent, de rebus Austriacis

potius esset consistere, quam fugere. In his ergo circunstantiis satius fuisset à bello abstinere; quàm arma movere. Quid enim Serenissimus Archidux in Hispania, Hispania ipsa enixè repugnante, consequi posse confidat?

320. Idcircò prudentia Philippi II. à cunctis cõmendatur, qui post obitum Henrici III. Regis Christianissimi, in quo virilis Valesiorum soboles extincta fuit, quamvis ex Elisabetha defuncti Regis filia natu majore prolem geminam suscepisset, Elisabetham Claram, & Catharinam, successionem filiabus minimè affectavit. Non quia, si ex occasione bellum fuisset suscipiendum, lex Salica multum fortè illi negotium facesseret: bene quippe sciebat, Anglos hujusmodi legem minimè impedisse, ne successionem Regni Regiæ agnationi difficillimo bello disputassent; quod potiori titulo aggredi Philippus potuisset, eo casu, quo proximior agnatus vigesimo secundo tantum agnationis gradu præmortuum Henricum contingebat; adeò ut non pauci Jurisconsulti autumarint, jus eligendi Regem ad Rempublicam fuisse devolutum. Sed quia, ut sagax erat, contemplabatur, rem illi fore cum gente, quæ externum dominium, vel legis suæ violationem, nonnisi extincta pateretur, in juribus suis propugnandis obstinata, & flectinescia, maxime favente Henrico IV. ultra agnationem, ultimi Regis voluntate; ex hoc bello, sub cognationis obtentu, parum lanæ, & nonnisi tribulis irretitæ (ut dicunt) referre

ferre posse, prævidit: resque suas facilius, utilius, honestiusque promoveri posse religionis vel causa, vel occasione, quàm affectato filiarum jure, subodoratus est.

321. Nescio an speciosior belligerandi titulus adsit nunc Augustissimo Cæsari, quàm tunc Philippo se se offerebat. Etenim hujus conatus discutere, duntaxat lex Salica posset; quæ tamen nisi armata, & Francorum viribus septa, causam suã perorasset, facilè Anglorum judicio olim victa fuisset; quibus ultimi Regis testamentum excludentis filium, vocantis filiam, & ex filia descendentes, pro textu fuisset. At Rex sapientissimus noluit manum conserere, & ad trutinam revocare legem, vel consuetudinem, pro cujus inviolata existentia bene noverat, Francos omnem sanguinem litaturos: consultiusque existimavit bellum diuturnum, & ferè perpetuum, non excitare, quod gravissima forte Regnorum jactura, nullo commodo, gerendum foret; quam filiabus jus illud cum tanto discrimine asserere, etiam quando Francia ipsa internis motibus miserè concutiebatur. Quid facturus, si eam conspirantibus animis in unameandemque sententiam, indivisã conspexisset? Eccur Augustissimus Cæsar jus qualecumque, ad cujus prosecutionẽ nullam dispositionem internam, sed manifestam repugnantiam in Hispanis compererat; quiescere non permitteret, & commodè, & prudenter? Profectò non poterat non animadvertere, excitandum bellum sævum, cruentum, & diu-

diut urnũ cum nationibus ex æquo jurium, ac libertatis tenacibus,&mori potius paratis,quàm à cõcepto semel proposito ex legibus,ex æquitate,ex re publica,aliquãtisper deflectere; ex quo hæredatariis suis Dominiis nihil commodi, multum jacturæ, & stragis imminebat. Bellum, cui nulla secura pax, nullum firmum otium succedere potest prudentes non suscitant. *Sapientes pacis causa bellum gerunt, & laborem spe otii sui tentant*. Sallust.ad Cæs.

§. IV.

Ab antipathya Francorum, & Hispanorum nullum fortunatum eventum debuit Augustissimus Cæsar sperare.

322. SEd audio non unum susurrantem. Imò ex hoc eodem capite ad bellum Cæsar excitatus est. Videlicet, quia persuasus est, Hispanos suscepisse quidem Philippum V. non tamen ex sententia; sed potius temporis angustiis pressos, oppressos Regis sui deplorato interitu, impotentes resistere præproperis, & instantibus Gallorum impulsibus; cum arma Cæsarea, à quibus salus speranda erat, ob nimiam distantiam accurrere, & prout necessitas postulabat, præsto esse nequirent. Cæterùm dubitare fas non erat, quin Cæsari appropinquanti statim libentissimè se dederent, & redemptori suæ libertatis con-

consentirent. Cunctis exploratum est, & in biviis, ac triviis decantatum utriusque gentis odium, non tam ex causa (licet causa non desit) conceptum, quàm ex quadam innata antipathya, quam cæci in cantilenis, mimi scænis irrident, & vel pueri ipsi ubique gentium subsannantur. Hæc cum ita sint, nec dubitare de Hispanorum fide debuit Cæsar; nec committere, quin ejus vicem miseratus, manum sublevatricem porrexisset.

323. Si ex commiseratione bellum susceptum est, gratias agimus, esto nunquam, etiam in gravissimis ærumnis constitutæ, Hispaniæ miserantibus opus fuerit, quia hucusque ad tantam abjectionem non devenit, quæ miseria fuerit. De reliquo; quisquis sic susurrasti, planè deciperis, tua affectione aucuparis, tuisque præjudiciis fucum facis. Causa præsens non voluntatis impulsibus, sed rationis dictamine suscepta est defendenda ab Hispanis. Unde nequidquam obest tua decantata, & verè ridenda antipathya, quæ ab utriusque gentis æmulis, universæ Europæ prædominantis ægrè ferentibus hoc prædominium reliquis nationibus, artificiosè excogitata, ingeniosis figmentis promota, & salitis narratiunculis, vel observationibus condita est. Sed quando etiam affectus sententia hæc dirimenda foret controversia, Galli animos non desponderent, nulla enim inter ipsos, Castellanosque, qui primum in Monarchia locum tenent, odii occasio, nulla antipathya, sed jugis, & mutuus honor,

nor, reciproca Regum conjugia, diuturnaque confęderatio viguit. Quod, si audire non gravaris brevi historiæ excursione demonstrabo.

324. Regnum Legionense in sua ferè infantia moderatorem obtinuit Alphonsum secundum, epithetice Castum, prenepotem Pelagii; de cujus amicitia, & observantia erga Carolum Magnum Franciæ Regem, & Occidentis Imperatorem, testes sunt quotquot sive Hispani, sive Galli horum Principum gesta scripserunt; quæ eo usque processit, ut media adoptione, Alphonsus Carolum in Regno successorem deligere decrevisset; hoc consilium, licet à Regni Proceribus dispulsum fuerit, ut Regni legibus contrarium; argumento tamen est, illam antipathyam non esse utrique genti coævam, aut cognatam; ut æmuli ipsis affingunt.

325. Adolescebat jam Regnum idem Castellæ unitum, Alphonsi VI. temporibus; hic ex Franco Regio Sanguine duxit Constantiam, & cum ipsa ex eo Regno accivit Bernardum Abbatem Cisterciensis Ordinis, cum pluribus sui sodalitii Religiosis, quos præfecit principalioribus Regnorum Cathedris, Bernardo Toletanæ destinato, quam primus post ejectos Mahumetanos occupavit: filiamque natu maximam Urracam Raymundo Burgundo Regii Franciæ Sanguinis Principi (erat enim Hugonis Capeti ex filio Roberto pronepos) desponsavit, cujus conjugii proles Alphonsus Raymundi, dictus Imperator, in Regnis

suc-

succelsit, & gloriosa ejus virilis posteritas usque ad Austriacos, in Castella, & Aragonia perduravit. Sunt ne hæc antipathycæ aversionis, an mutuæ existimationis, & honoris argumenta? Mirabere, quod Castellani jucundè excipiant ad thronum sanguinem Hugonis, quem dominantem per quatuorcentos annos coluerunt?

526. Alphonsi VII.filiam Eleonoram Philippus Franciæ Augustus Rex desponsavit: Ludovicus VIII. Blancham Alphonsi VIII., ex qua S.Ludovicum IX. suscepit.Francisc. I. Eleonoram Austriacam.Ludovic. XIII. Ann.Philipp.III. & Magnus Ludovic. Mariam Theresiã Philipp. IV.filias uxores habuerunt;vicissim Ferdinãdus Infans de la Zerda,Alphonsi Sapientis primogenitus,Blancham S.Ludovici filiam uxorem accepit. Petrus unicus & sævitia, & nomine, Blancham Borboniam insignem, & pulchritudine, & fortitudine heroinam, non ex privato affectu (quem jam Maria Padillia fascinaverat) sed ex Regnorum votis, duxit uxorem, an martyrem? Philippus II. & ipse Austriacus Elisabetham Henrici II.Philippus IV.Elisabetham Henrici IV. filias duxerunt.Carolus II.Mariam Aloysiam Aurelianensis Ducis filiam, Ludovici Magni ex fratre neptim,sibi copulavit.Nec hactenus auditum est, quod Franci suas Reginas, quia Hispani sanguinis, exossas habuerint, nec Hispani suas, quia ex Franca stirpe, fuerint aversati. Imò utrique eas impensissimè coluerunt ob egregias,& verè Regias,quibus enicuere,

virtutes. Ubi est ergo utriusque gentis antipathya? Certè si, ut jactant, antipathyci essent; hæc mutua conjugia exhorrerent, non ambiissent.

327. Cujus armis Henricus II. (à quo regnans Hispaniæ linea derivat) semel & iterum Castellam, jam ad virilem statum provectam, ab immani Petri furore liberavit? Regis Franciæ: ut nemo ex Hispanis Scriptoribus non fatetur. Ex tunc Castellæ Regum cum Francis perpetua amicitia, & confœderatio; quam nunquam Angli, etiam, agente Carolo Navarræo, Eleonoræ Castellanæ viro, turbare potuerunt; tantaque colligatio, ut nec in Religionis causa dissensissent; in schismate enim illo Urbani VI. & Roberti Genevensis; Castellani id ipsum, quod Franci substinuerunt. Nec ad tempora usque Catholicorum Regum aliquod odii, inimicitię, antipathyæ vestigium reperire poteris; si excipias controversiam Sanctii IV. & Zerdensium, quę potius Regum, quàm Regnorum dissidium æstimari deberet.

328. Non diffitemur (nec est cur id dissimulemus) à tempore Ferdinandi Aragonii Regis Catholici, cæpisse Castellanos etiam inficere aliquam hujus contagiosæ aversionis auram. Sed si verum dicere velimus, ad Castellanos, & Francos quod attinet, potius fuit contagium ab Aragonię consortio afflatum; quam propria, & nationalis aversio. Aragoniis namque a multis retro annis, vel Regnorum confinia, vel Comitis Tolosani consanguinei defensio, vel ulterioris Si-

Siciliæ occupatio, jugia cum Francis dissidia pepererunt; quæ, regnante Ferdinando præfato, occupatione Neapolis, fœdere inito cum Julio II. & Leone X. contra Ludovicum XII. invasione, & detentione Navarræ, incrementum susceperunt. His de causis Castellanis sub eodem Rege militantibus communicata aversionis, seu inimicitiæ semina in apertæ contrarietatis segetem eruperunt, & primæ illæ scintillæ continuis bellis,& gloriæ militaris æmulatione ventilatæ, flammas evomuerũt universo Orbi conspicuas. His novum subdidit pabulum Caroli V. Austriaci successio; nam præmissa bellorum motiva recrudescentia creverunt novis occasionibus, sive ex controversis Burgundiæ juribus, sive ex Mediolanensis Ducatus obstinata contentione inter Carolum, & Franciscum, quoadusque capto ad Papiam Francisco, & nonnisi sub gravissima noxa in libertatem restituto, in publica, ac nationalia odia degenerarunt. Quæ, si Carolus Oxomensis Episcopi consilium magnanimus suscepisset, Franciscum statim sine mulcta dimettendi, fortè præventa, aut præoccupata fuissent.

329. Tandem diutina bella Philippi IV. & Caroli II.cum Ludovico XIII. & XIV. adhuc felicissimè regnante, obdormientem, sed non extinctam, æmulationem renovarunt, grandi Castellanorum malo, vægrandi Aragoniorum incommodo. Nam Aragonii suis antiquis libertatibus, & privilegiis muniti, parum (etiam quando de propriis defendendis agebatur Pro-

vinciis) & copiarum, & substantiæ contribuerunt. At Castellani, qui à primordiis Regni sui instar summi privilegii habuerunt, nullum quærere, vel postulare privilegium, quo à Regum suorum obsequiis, & servitio eximantur; gravissimo publicæ rei incommodo, frequentissimo militum delectui, immodicisque extraordinariis contributionibus, ubi vis bellum gereretur, subjacuere. Ut propterea nullus non miretur, Regnum opulentissimum, & populo plenum à prisca opulentia, & populi frequentia tantoperè excidisse. Hæc cum ita sint, quis non credat Castellanos, citra unionem illam, & Regnorum confusionem, quæ Regni hujus antiquitatem, majestatem, & constitutionem procul dubio invertisset; desiderasse hujus tam perniciosi dissidii radices potius extirpare, quàm fovere? Porrò per successionem Philippi nostri, quæ Monarchiam relinquit impermixtam, & inconfusam, sub proprio Rege, sub quo pristinum virorem resumpturam speramus; hujus jugis belli radices extirpari perspicuum est. Ridiculum ergo est, illa commentitia antipathya tàm fatuè Castellanos intinctos credere; ut quieti, qua indigent, aditum præcludere voluissent.

330. Sed demus hanc antipathycam aversionem, quæ prorsus imaginaria est, innatam, insitam, ingenitam omnibus Hispanis. Demus, naturam voluisse cum his duabus nationibus ludere, ut quando producat Frãcum, producat in eo inversum Hispanum; & quando Hispanum, in eo produxerit Francum inversum; sint-

que

que hæ duæ gentes geniales antipodes; & possint per se invicem, ut contraria, diffiniri. Nihilosecius hanc Philippi Regis Catholici successionem cunctis gratam, acceptamque cordicitus fuisse hoc nobis argumēto persuademus. In nullo hæc antipathya altiores figere radices debuisset; quàm in Carolo II. Hic enim & Hispanus erat, & Regnorum, æmulationis, contentionis cum Domo Franciæ, sicut bellorum, & jurium hæres. Hoc tàm clarum est, ut nemo audeat inficias ire: Si ergo Carolus agnationis amorem, gentis aversionem, multiplicem, & diuturnam, quam à Christianissimis armis afflictionem passus est; justitiæ Philippi V. tranquillitati Subditorum, integritati Monarchiæ magnanimè devovit; Quid ni Hispani, quorum in hac successione causa præcipuè acta est, paci, quam stabilem, firmamque sperant cum Francis; Monarchiæ inconfusioni, cui hoc medio providè consultum est; rerumque suarum instaurationi, quam certa fiducia, hoc successore, opperiuntur; veteris aversionis reliquias, si quæ fuissent, jucundissimè immolent? Rex piissimus, dum vivere desinit; dum nihil sibi superest in terris, quod vereatur, vel à ludificantis fortunæ alea, vel à potentissimi æmuli victrice potentia, vel ab aulicorum plausu, vel ab inimicorum odio: quando veritas regnat, quando justitia triumphat, quando æternæ salutis desiderium flagrat, quando conscientiæ stimuli cruciant; hanc, præterita agnatione, quàm impensè amabat, declarationem edit: & vis, quod Subditi, quorum

sa-

saluti adhuc moribundus prospexit, non excipiant obviis ulnis Successoris inaugurationem, ut è Cęlo delapsam? Sanè desipit quisquis tantum dederit huic fictitiæ antipathyæ, ut non credat, posse his Christianis simulque politicis reflexionibus & sopiri, & extingui.

331. Hoc, dum intra me ipsum totus intentè considero, rumino, expendo, miram, & nunquam satis prædicandam Dei O. M. providentiam erga hanc Catholicam Monarchiam, extra me raptus, stupeo. Sed quis non stupeat, advertens hunc providentissimum rerum omnium moderatorem, eam diu multumque armis Regis Christianissimi exercuisse, male mulctasse, enervasse; Sed cum jam, Carolo Rege ad mortem declivi, etiam ipsa, devexa ad interitum valetudine, ruinæ videbatur vicina, affinis scisuræ, divisioni contermina; ecce ipse Carolum II. dirigit, movet, inspirat, ut Philippum V. successorem declaret, Subditosque ejus occulto, sed miro, & ubique consentiente sibi instinctu, excitat, ut unanimi plausu ipsum excipiant, veteris simultatis, æmulationis, vel si mavis, antipathyæ, prorsus immemores; atq; extĕplò quibus fuerat armis attrita, convalescit, ac in obitu Caroli, qui ejus mors credebatur, redivivo vigore inopine consurgit. Verè in hac infirmitate curanda, in hac Hispanicæ Monarchiæ mirabili restauratione Medicum egit Deus, non qualem describit Greg. Homil. 32. in Evang. qui secundum vulgatos Hipocratis canones frigida calidis, calida frigi-

gidis curat; sed exquisitum, exoticum, qui eisdem qualitatibus, quibus cruciatur æger, utitur ad medelam, qualem describit solito acumine Tertull. in Scorpiac. cap. 8. *Medicum ridebis etiam in illo, quod fermè pares adhibet qualitates medelarum adversus qualitates quærelarum, cum quasi de perverso auxiliatur per ea subveniens, per quæ laboratur. Nam & calores caloribus amplius onerando compescit; & ardores siti potius macerando restinguit: & fellis excessus amaris quibusdam potionibus colligit; & sanguinis fluxus diffusa insuper venula revocat. Deum verò, & quidem Zelotem, culpandum existimabis, si voluerit certare cum causa, & injuriæ æmulando prodesse, mortem morte dissolvere, occasionem occasione dispergere:* Expende singula, sed expende curiosè, & cum circunstantiis præsentibus confer, nec enim jota unum, vel unus apex otiatur, & mecum quin fatearis nõ dubito, Deum Caroli II. testamento Catholicæ Monarchiæ labanti manum supposuisse, & Philippum nostrum ejus conservationi destinasse, ut quæ præteritis temporibus per antiperystasim ex Francorum contrarietate gloriosè succreverat; hodie per quamdam mutuam contrariorum colligationem, gloriosius propagetur.

§ § § § § §
§ § § § §
§ § § §
§ § §
§ §

§.V.

§. V.

Hispanorum propensioni erga Austriacos Reges non debuit Augustissimus Cæsar fidere exitum hujus difficillimi belli.

332. RELiquum est, ut aliud principium, cui hæc Augustissimi Cæsaris expectatio inniti poterat, insubsistens, & cui tantum facinus committi nõ debuit, ostendamus. Illud est sincerissimus Hispanorum amor erga Austriacos Reges: quos summa veneratione coluerunt, & quia piissimi, nihil, quod veræ Religioni non congrueret, admiserunt: nihil quod fidei puritati vel elonginquo adversaretur, non respuerunt. Et quia Subditorum amantes in eos largissima beneficia liberalissimè effuderunt. Et quia mitissimi ab omni crudelitate, aut violentia abstinuerunt. Et quia Romanæ Ecclesiæ obedientissimi, (quæ prima Hispanorum laus est) nec per transversum unguem ab ejus præceptis deviarunt. Hic exploratus amor Hispanorum erga Austriacos Reges satis clarè innuebat, eos non nisi compulsos Regem alius stipitis admissuros; subindeque debuit credere Augustissimus Leopoldus, ex occasione, Serenissimum Archiducem, cujus indoles avitam Regum Hispaniæ pietatem, religionem, mansuetudinem, & liberalitatem refert, libentissimè suscepturos.

333. Sed,

333. Sed, cum ingenuè confiteamur, Hispanos Reges Austriacos dilexisse; pati non possumus ipsis tam cæcum hunc amorem affingi, ut eo abrepti oblivisci deberent justitiæ, quæ Regi Philippo assistit; fidelitatis erga Regem semel admissum; religionis juris jurandi, quo se ejus obsequiis devinxerunt; avitæ nobilitatis, qua perduellionis turpem labem perpetuò effugerunt; reverentiæ supremæ Regis sui dispositioni: & publicæ utilitatis ex ea resultantis. Profectò si quis credat Hispanos tantoperè Austriaci Sanguinis amantes; non eos reputat amantes, sed amentes; non diligentes, sed insanos; & dum eos dulci amoris nomine delinit, demulcet; turpissimo proditionis nævo deturpare aggreditur. Similisque erit illis adolescentibus, qui amasias legibus amoris conveniunt, ut ad turpissimum lapsum propellant. Argumenta ab amore petita, quæ inhonesta,& indecora concludunt,non sunt argumenta, sed sophismata; amor in topycis honoris sedem nullam habet; atque ideo ex eo syllogismus nec demonstrativus, nec probabilis confici potest; non ergo ex amore analitica, vel probabili persuasione potuit Augustissimus Cæsar felloniam Hispanæ gentis colligere.

334. Numquid Catholicus noster Philippus Austriacus non est? Eccur Carolus II.eum successorem dixit, nisi quia & linea & gradu ipsi conjunctior? Austriaco-Hispanus est, licet non Austriaco-Germanus? Porrò Hispani impensissimè dilexerunt Domum Au-

striaco-Hispanam; quam cum hodiè repræsentet Philippus, eorum amor idem habet objectum, de materiali se habente mutatione in dividui regnantis. Quod vero hic amor usque ad Austriacos Germanos pervaserit, conjunctio fecit, vel animorum, vel interesse; hæc cessavit verè miranda catastrophe; & cum causæ publicæ utilitas Hispanos Gallis unierit, quos non dissimili, imo strictiori vinculo Regum unierant conjugia; nescio quid hic amor Austriadum, plusquam illa antipathya Gallorum, & Hispanorum, Augustissimo Cæsari potuerit polliceri?

335. Hunc amorem pęnitius edisseramus. Coluerunt Hispani, amarunt, & impensissimè amarunt Reges Austriacos: verum hoc. Sed quæram: dilexerunt nè quia Austriaci? hæc reduplicatio nec fuit odii, nec amoris hujus objectum. Amarunt, quia vivas in eis, & spirantes imagines Regum Hispanorum colebant. Quia posteri erant, & successores eorum Regum, quorum manu, consilio, & ducatu pristinam Hispaniæ libertatem asseruerunt; & antiquissimum gẽtis splendorem novo fulgore cumularunt. Quia in eis Regium Balthorum Sanguinem per Recaredum, & Chindasuinchum in Pelagium, & Alphonsum, & per hos in eos, nunquam intercisa vena, corrivatum vigere cernebant. Quia avitæ pietatis, & Religionis hæredes. Hæc pietatis, & nobilitatis charismata Austriaci Hispaniis non invexerunt; sed invenerunt. Non negaverim Austriacæ Domus Augustæ majestatem, antiquitatem, san-

sanguinis splendorem, tot viridantibus Cæsarum lauris continua successione illustratum; nec enim impudens sum, ut cunctis notissimis hujus celsissimæ domus prærogativis detrahere ausim. Sed solum, quod verum est, assero; Domum Hispanam nullis peregrinis stemmatibus honestari indiguisse, ut Subditorum suorum amorem, cultum, & venerationem in se converteret: consequenterque Hispanos quemvis verum Regum suorum successorem, sive ex trunco Austriaco, sive ex Borbonio devotissimè semper culturos, tãquam, in quibus primi illi suæ libertatis, & majestatis vindices continua propagatione reviviscunt.

336. Cæterùm, si non juris regulis, non legibus Regni, sed affectibus Procerum diffinienda lis esset; non dubitaverim, quin majori suffragiorum parte Serenissimus, & Catholicus Rex noster Philippus eligendus fuisset, nec quidquam vel antipathya cum Francis, vel amore erga Austriacos repugnante. Quod ex inde deduco. Austriaci Reges, nescio an status ratione, vel Hispani Sanguinis contemptu, nullam Hispanam Familiam, etiam origine Regiam, suo sanguine dignati sunt; adeò ut post ferè ducentos Imperii annos, nec una Austriaci Sanguinis gutta per venas alicujus decurrat, & obeunte Carolo II. universa Austriaca progenies ex Hispania eradicata sit. Porro hæc Regum abalienatio affectus minimè devincit: præsertim cum prisci Hispani generis Reges nobiles Regnorum familias Regio Sanguini, filiabus datis, & acceptis, sibi

pluries copulaverint. Eaque propter plures, & ferè omnes, antiquiorum Procerum domus ad Reges sive Castellæ, sive Aragoniæ genus suum referunt. Ex. g. Domus Zerdensis progenitores agnoscit Ferdinandum Infantem de la Zerda, & Blancham S. Ludovici filiam. Domus Segobricensis Henricum Aragonium, Ferdinandi Honesti tertiogenitum, & Beatricem Pimenteliam. Domus Cardonæ ad Jacob. II. pluribus lineis pertingit; ad eundem pertingit Domus Moncadæ. Domus Xironia, ex qua Paciecorum, Xironiorum, & Portocarrerensium familiæ procedunt ad Alphonsum VI. ascendit per filiam legitimam Sãctiam, quæ nupsit Roderico Xironio, à quo familia præclarissima hoc cognomentum hæreditavit. Domus antiquissima Offoria ascendit ad Regem Legionis Alphonsum IX. Ferdinandi Sancti genitorem, mediis nuptiis Dulcis, ejusdem Regis filiæ ex prima uxore Theresia, cum Roderico Gonzales Offorio. Domus Manuelia ab Infante Emmanuele filio Ferdinandi Sancti derivat. Domus Henriquezia ad Alphonsum XI. ad eundum Domus Larensis: Noronia, ad Henricum II. ad eundem Domus Castrẽsis attinet Domus Guzmania Assidoniensis pluries Regio Sanguine copulata est, tandemque cum filia Ferdinandi Catholici; ad Joãnem Ferdinandi Patrem, pertinet Domus Villæ formosæ, ad Ferdinandum filium Gandiensis. Et Ferdinandus ipse Catholicus natus est Joanna Enriquezia, Federici filia. Idem ipsum de pluribus aliis asseri potest, quibus nolim meo silen-

tio

tio præjudicium generari, cum hæc exempl. g. dicta sint; eo maximè quò omnes proceres domus, iteratis vinculis, inter se connectantur, ut non possint non esse cunctis per conjugia hæ prerogativę communes.

337. Quis credat, (& nihilominus certum est) plures ex Hispanis Proceres conjunctiores genere esse Domui Regiæ Franciæ, quàm Domui Austriacæ, post tot annos Hispanici dominii? Dixi, & iterum repeto Austriades, qua tales, seu præscindendo ab origine Hispana Joannæ Aragoniæ, nullam directam, vel indirectam affinitatem cum Hispanis contraxisse,& tamē Domus Borbonia, Hispanis antipathyca, multiplici vinculo cum pluribus familiis innectitur. Ut enim prętereamus, quod omnes illæ familiæ, quæ Reges Hispanos contingunt, uniuntur cum Regia Borbonia Domo in Roberto, unico filio Hugonis Capeti, propter Raymundum ejus nepotem, à quo, ut diximus superioris lineæ Règes virili propagatione processerunt; aliis etiam lineis eam respectant. Nimirum, ut Navarræorum Regum germem, eam contingunt, quotquot Regium Navarræ sanguinem communicant, ut Stunicæ, Beumontii, Areliani, Navarræi: ut Comitum Fuxensium posteritatem, quotquot Reges Aragonios progenitores habent, tùm ex nuptiis Matthæi, & Joannæ Aragoniæ, Joannis primi filiæ, tùm ex nuptiis Eleonoræ Aragoniæ cum Gastone Fuxensi: ut ad Serenissimā Mariam Medicæam Henrici IV. uxorem refertur, eam contingunt quotquot sanguinem Petri Toletani, Marchio-

chionis de Villafranca, participant, cujus filia Eleonora Cosmo I. uxorata, auia fuit. Cumque ex his plures aliæ domus derivent; palàm fit Hispanos Proceres arctioribus sanguinis vinculis Regiæ Franciæ Domui copulari, quàm Austriacæ: atque exinde quod, si affectus deberent in electione novi Regis suffragari, non dubito, id ipsum facturos ex electione, quod ex jure factum est. Perperam ergo amori Hispanorum erga Domum Austriacam Augustissimus Cæsar exitum hujus difficillimi belli credidit, si credidisse, credamus.

338. Demùm amor ipse erga ultimum Austriaci stipitis in Hispania virile germen Carolum II. postulabat, quod Hispani acceptam, gratamque haberent hanc successoris destinationem. Nam licet à Juribus imperatam, amor tamen Caroli erga Subditos suos eam obstetricavit, & in lucem emitti fecit: amor hic fecit Carolum agnationis immemorem; hic eum eloquentissimè persuasit; hic eorum, quæ majestas ab armis Franciæ acceperat, vulnerum, nescium reddidit; hic æmuli, licet conjunctissimi, Regis nepotem prædiligere suggesit. Ut si admirabundus sciriteris. *Quis hoc fecit?* Respondeam cum Bernardo Serm. 26. in Cantic. *Amor, dignitatis nescius, dignatione dives, affectu potens, persuasu efficax*. Et huic amori, quam vicem rependent Hispani? Caroli supremam voluntatem frustrabunt: Regem ab ipso datum repellent: fidem ipsi obstrictam violabunt: Monarchiam ab ipso restitutam ruinæ obnoxiam facient? O bella amoris il-

lius

lius correſpondentia ! Carolus II. filium non habens, ambibat æternari,& id aſſecutus eſt,non extructo Mauſolæo ut Abſalon. ***Filium non habeo*** , ***hoc erit monumentum nominis mei***; ſed vicinus Mauſolæo declarans Philippum ſucceſſorem, ruptis humanorum reſpectuũ vinculis, ne & Regi & Regno injuriam faceret; & hoc erit monumentum nominis ejus, in quo ſecurius,quam in marmorea, aut ærea pyramide perennavit, æternis Subditorum plauſibus celebrandum.

§. VI.

A fœdere cum Anglis,Bataviſque exitum hujus belli felicem ſperare non licuit.

339. CUm Auguſtiſſimus Cæſar propriis armis Hiſpanam Monarchiam comparandam ſperare nequiverit; nec Hiſpanorum verſus Francos antipathya, vel erga Auſtriades amor, hanc expectationem fovere potuerit; videndum modo, num armis auxiliaribus Angliæ, & Hollandiæ hanc gravem expeditionem committere debuerit? Negativè procul dubio reſpondendum eſt. Nam licet aliquando liceat Catholico Principi, infidelium armis uti ad bellum vel inferendum, vel retundendum; in duplici tamen eventu non licet. Primo; ſi infidelium arma loca Catholicorum occupatura ſunt. Secundo; ſi auxiliaria potentiora, & ſuperiora ſunt. Hujus duplicis exceptionis

ra-

rationem reddituri, à priori incipimus. Nam quotquot Theologi de bello scripsere, asserunt bellum per se licitum, fieri illicitum per accidens, ex consortio infidelium, quando subest scandalum, & Religioni periculum. Videatur Antonin. Dian. part. 6. tract. 4. resolut. 7. Reginal. tom. 2. lib. 21. num. 100. Filliuc. num. 81. Vict. de bell. num. 37. & concordant reliqui. At quando Infideles occupaturi sunt loca Catholicorum, maximum paratur Catholicis scandalum, & Fidei periculum, ne hujusmodi virulenti homines suo commercio afflent Ecclesiæ filiis contagiosam luem, qua inficiuntur; ut nemo negat; venenum enim illum propinatum in libertatis laticibus facile serpit. Igitur nequit Princeps Catholicus bellum aggredi his auxiliis, prævidens necessario, si quæ conquirit loca Catholica, ipsis fore crediturum. Hoc adeo certum est, ut non solum sit illicitum bellum, in quo ex proposito adsciscũtur hujusmodi pestilentissimi auxiliares; verum etiam, quando ex bello sine ipsis gesto præstatur eisdem occasio proficiendi in Ecclesiæ perniciem, & occupandi Catholicorum loca, & arces, ut ex sententia prælaudati P. Francisci Victoria scripsit Molin. de just. & jur. disp. 107. in hæc verba: *Evenire aliquando posse, ut bellum aliquod sit justum, & licitum per se, & illicitum per accidens. Etenim si ex eo, quod juste quis recuperare velit Civitatem, Castrum, aut aliud simile, vel sumere justam vindictam de injuria sibi illata judicaret, facilevè intelligere posset: futura esse bella*

in

in perniciem, & vastitatem virium Ecclesiæ, eaque ratione præberi occasionem Ecclesiæ hostibus occupandi terras Christianorum, Ecclesiamque devastandi; sanè quamvis tale bellum justum, & licitum esset per se, per accidens tamen ratione damnorum, quæ bono cōmuni inde emergerent, teneretur Princeps, qui illud inferre cogitaret, ab eo sub reatu lethalis culpæ abstinere; potiusque pati illatam injuriam, jacturamque bonorum suorum.

340. Augustissimus Leopoldus hoc periculum non prævidere, non potuit. Quando quidem bellum auspicatus est in Flandria solum armis Angliæ, & Hollandiæ stipatus, ex quo necessario eventurum erat, quod siquæ loca ibi expugnarentur, hæreticorum præsidiis munienda erant, prout ea quæ inibi compararunt, eorum armis munita sunt. Quod verò hæc eadem loca Imperatoris, vel Archiducis Caroli nomine teneantur, huic malo minimè occurrit; nec obtentus Cæsarei nominis contra luem, quam afflare possunt, præsentaneum antidotum est. Quid prodest miseris illis Catholicis, quod ab hetærodoxis Cæsaris nomine gubernentur? propterea forsàn ab Ecclesiæ, & Catholicæ Religionis inimicis non gubernantur, servire, & obsequi non compellentur? non aperitur via libertati conscientiæ? non convivunt viperis, & scorpionibus? Planè hic nominalis prætextus periculum animarum, & Religionis jacturam præcavere non sufficit.

341. Rursus: Quis Fanaticos in Galliis excita-

vit adversus veram Religionem, potius quàm adversus legitimum Principem? Non dicam, Augustissimus Cæsar, quia præter ejus piissimam mentem accidisse hanc rebellionem in Deum, & Ecclesiam, quæ in tam truces, barbaras, & inauditas adversus Catholicos hostilitates prorupit, ejus perspectissima Religio omninò persuadet. Dicam tamen; hoc Cæsaris bellum; nam credentes hi exleges Christianissimi Regis arma imparia fore huic magnæ confœderationi, de re sua crediderunt, virus, quod metus occultabat, evomere, & odium in Catholicos necessaria patientia, diuturnaque exacerbatum, eorum sanguine restinguere. Sed si dixerim, ab Augustissimi Cæsaris fœderatis, ejusdem cum eis erroneæ communionis, commotos fuisse, solicitatos, animatos; nihil dicam, quod veritati non congruat. Jus Augustissimi Cæsaris in hac scæna larva est; scopus, in quem contendunt fœderatorum jacula, Catholica Religio est. Necessitas ipsa hanc veritatem ab ore Anglorum elicuit: ut enim populum tot extraordinariis contributionibus, quibus subjacere dispendiosissima tanti belli moles compellit, exasperatum relinirent, bellum hoc Religionis causam dixerunt. Itaque Angli & Batavi cum Augustissimo Cæsare appetunt Monarchiam Catholicam, Hispanam; hoc tamen discrimine; quod Cæsar appetit quia Hispanam, ut eam sui juris faciat; illi, quia Catholicam, ut vires Sacræ Religionis evertant; quo fieret, nisi Deus eorum conatibus tam patenter, & potenter resisteret, quod si

ad

ad Cæsarem aliquando hæc Monarchia deveniret, nec Catholicam, nec Hispanã, nec Monarchiam habiturus esset. Non Catholicam, quia suis erroribus conspurcatam: non Hispanam, quia Hispana non esset, si non esset Catholica: non Monarchiam, quia ubi vera Religio, quæ unitatem amat, abesset; Monarchia conservari non posset, sed degenerasset in monstruosum mixtum ex Monarchia, Aristocratia, & Democratia, vel potius in pessimam, & tetram oligarchiam, qualis apud ipsos in usu est.

342. Quantum status Catholicæ Ecclesiæ ex his cum hetærodoxis fęderibus tàm in præsenti, quàm in præterito bello profecerit, ipse rerum eventus manifestissimè demonstrat. Nam ex Anglia pulsus est Rex Catholicus, & Catholicæ Religionis studiosissimus, & contra jus fasque substitutus est Guillielmus Nasovius Princeps Auriacus, Calvinianæ impietatis sectator, si fuit alicui, vel etiam falsæ Religioni, devotus. In Polonia evectus est Augustus Saxo Lutheranus, quē, licet abjuraverit in gratiam sceptri, & credam, ex animo Lutherum minus habilem ad fidei conservationem reputare licet, quàm quemvis alium Catholicis Progenitoribus natum, Ecclesiæ Romanæ puro lacte enutritum, & in ejus gremio educatum, & adultum. Electoribus Principibus aggregatus est Bransuichius eo nomine, ne veræ Religionis exortes numero adeò cederent Catholicis Electoribus; vel ut Palatinus Electoratus ad Catholicos migrans Hæreticis novo Ele-

ctoratu compensaretur. Brand-Burgensis Elector Rex Prusiæ salutatus est, ne Saxo ad Polonum solium evectus ipsi invidiam faceret; sed tamen ille abjuravit Lutherum; hic magis ex sceptro devinctus erit, cujus perditissimæ insaniæ debet hæc domus temporalia incrementa, spiritualium pretio iniquè coempta. Hos ex hujusmodi fęderibus facit Ecclesia Catholica, Apostolica, Romana progressus, vel quos alios? Unde ipsis credere non debuit Augustissimus Cæsar hujus causæ disceptationem, qui oretenus jurium Austriacæ Domus assertores, re ipsa, Catholicæ Ecclesiæ eversores sunt, vel esse anhelant.

343. Secundæ exceptionis ratio est: quia dum auxiliaria hæreticorum arma potentiora, & superiora sunt; vereri debemus, ne veniant auxiliatores, ut Domini perseverent. Si namque bello finito, recedere nolunt, novo bello, & fortè difficiliori ad eos expellendos opus erit. Et quod recedere nolint, facile suspicari possumus ducti veterum exemplis: Nam P. Rom. Imperium suum bellis socialibus longè latèque effudisse, Historiæ Romanorum produnt, & Cicer. ingenuè fatetur lib. 1. de offic. Hispani ex Chronic. suis norunt, Justinianum, dum Athanagildum juvit ad sceptrum, res Imperii, quæ pęne in Hispania deciderant, non solum reparasse, sed promovisse; nec nisi diuturno, & acerbo bello qui auxiliares venerant, dispelli potuisse. ***Athanagildus, æmulo sublato, Gotthorum absque controversia Rex, pellendis continuò Romanis, qui par-***

partim isti nuper fœderis beneficio, partim virtute, & armis non exiguam Hispaniæ partem occuparant, & ad utriusque maris littora ditionem terminabant, magnum negotium suscipere necesse habuit, & gravissimo per totam vitam bello implicatus est, flantem, & reflantem fortunam moderari assuetus. Scripsit Marian.noster.Hist.Hisp.lib.5.cap.9. Leovigildus Svevorum Regnum hoc artificio Gotthici Juris fecit, ut scribit D.Isidor.in Svevor.Chronic. quem reliqui Historici nostri transcribunt. Nimirum Andicas, arrepta tyramnide, Eburicum Svevorum moderatorem, Ariomiri filium, & successorem, Regno pellit, detondet, in Monasterio detrudit, & Monasticam amplecti cogit. Leovigildus in Andicam movet, vincit, fugat, Regno potitur: gloriosum planè facinus, si Eburico restituisset, sed Arianus erat & infidus; Eburicum vindicavit; tyramnum malè mulctavit; sed Regnum retinuit, & Gotthico adjecit. *Cui Eburicus* (inquit S.Doctor) *filius in Regnum succedit: quem adolescentem Andicas assumpta tyrannide Regno privat, & Monachum factum in Monasterio damnat: pro quo non diu dilata est sententia; mox enim Leovigildus Gotthorum Rex Svevis bellum inferens, obtento eodem Regno Andicam dejecit: Regnum autem Svevorum deletum in Gotthos transfertur*. Forte credemus Anglos, & Batavos fideliores Leovigildo? Hic Arianus erat; isti antiquorum Romanorum æmuli, *magnam* (Divi Leon. verba sunt serm. 1. in Natal. Sanctor. Petri, & Pauli)

sibi

sibi videntur assumpsisse Religionem, *quia nullam respuunt falsitatem*, atque omnium errorum fæce cō-creti, solum veritatem Catholicam exulare cogunt. Quia cùm falsum à falso non timeat, nec sectæ à secta est quod reformidet. At singulis formidabilis est Religio Catholica; meritò sanè, quia apud quosdam, (ut ex sacris litteris scimus, & præsenti instituto consonat) *fortior est Rex*: apud quosdam *fortius est vinum*, apud alios, *fortiores sunt mulieres*. *Omnia tamen vincit veritas*. Arius, Sabellius, Macedonius, Pelagius, Eutiches, Nestorius, & quotquot Priscis sæculis confixi sunt à Patribus Hæresiarchæ, ex orco revocati reviviscunt in Calvino, Luthero, Kemnitio, OEcolampadio, Zuvinglio, & similis feturæ hominibus; Quis ergo eos Arianis fideliores credat? Non itaque his auxiliis Cæsar Augustissimus jura sua committere debuit. Fortè à locis, quæ semel occuparint, eos ejicere nequiret ea facilitate, dexteritate, & fortuna, qua Rex Christianissimus una eademque hora à Belgicis præsidiis exclusit.



§.VII.

§. VII.

Ex bello præcedenti qualis fidei hæ auxiliares Potentiæ sint, Augustissimus Cæsar animadvertere potuit.

344. HAE eædem Potentiæ Augustissimo Cæsari, & Carolo II. colendæ memoriæ, fęderatæ sunt contra Regem Christianissimum: unde qualis earum intentio sit, ex illo fędere facilè expiscari licet; ham intentionem in melius commutasse, desperata res est. Qualis verò in illa unione, aut fędere eorum intentio erga Austriacam Domum fuerit, ex postea gestis eruitur. Nam ex postea gestis qualis intentio fuerit à principio jura conjectantur. leg. *Sed Julianus. §. proinde ff. ad Macedon.* Bolognet. in addit. ad consil. Joan. de Anan. 32. num. 14. versicul. *Prosequor.* Cardinal. Thusc. tom. 4. lit. I. conclus. 269. num. 30. Rot. decis. 118. apud Farinac. part. 2. recent. & alibi sæpè. Statim, ac ultimus pacis tractatus celebratus est, scissuram infandam, turpemque divisionem Monarchiæ Hispanicæ hæ duæ Potentiæ Aquilonis, à quo panditur omne malum, excogitarunt, promoverunt, sanxerunt, firmarunt. Monarchiam Hispanam, quam specie tenus defenderant, vel defendere profitebantur, scindere moliuntur, & machinantur. O boni Austriadum auxiliares, qui ut eos desolentur, dividunt,

ut

ut facilius vorent, discerpunt!

345, Eodem fine modo Cæsari adhæsisse, nullus dubito. Quis enim crederet Batavos perduelles amare integram illam Potentiam, à qua defecerunt? dividere, & enervare volunt, ne viribus resumptis, jugum iterum eorum duris cervicibus imponat, & Calvinum suum cum monstruosis, & horrendis impietatibus, quibus passim scatet, ejurare compellat. Discindere cupiunt, ut diripiant; saltem sperantes ipsis cessuras plures, & ditiores novi orbis provincias, quibus ab utriusque Potentiæ insultibus defendendis parem non cogitant solum Castellæ Regem, sicut nec ad resistendum suis virulentis dogmatibus, satis fortia novella illa Christi germina, flores honoris, & fructus laboris nostri. Sed quid opus est conjecturis? tam obstinatè persistunt in hac semel concepta jure cerebri divisione, ut de Hispanis Civitatibus, Provinciis, Regnis perinde disponant, ac si jam debellassent, & his verè ridendis particulis Principes ad suas partes alliciunt. Spero, quod ut unionem, aut colligationem suam plurium Principum numero adaugeant, Marrochio Regi Granatam, & Othomano Siciliam polliceantur; sicut Lusitano Gallecia, & Castellæ principaliores munitiones promiserunt. Quò fiet, ut Serenissimus Archi-Dux Austriæ, etiam victor, nullibi posit regnare; quia postquam confœderatis suis faciet satis promissorum, & expensarum, nec una Civitas reliqua erit, in qua thronum erigere posit. Hi sunt Augustissimi Cæ-
saris

saris juris patroni, fautores, arbitri. Ne vivam, si quemadmodum Carolum II. prodiderunt, irriserunt; Cæsarem, Archiducem, Domumque Austriacam prodere, & evertere non meditantur. Plus ab illis Imperator, quàm Rex Catholicus, vel Christianissimus, sibi cavere debet; nam nulli tàm infensi sunt, quàm amicis; ut Hispani exploratum habent, pluriesque suo damno experti sunt. Cras, aut perendie (si res suæ ita postulant) pacem ineunt cum Regibus Christianissimo, & Catholico, Cæsare, & aliis fæderatis desultoriè desertis, prout moris habent.

346. Satius fuisset, Religioni, ac æquitati conformius, quod Imperator, Rex Christianissimus, & Catholicus duplici vinculo colligati, Sanguinis, & Fidei, hoc arbitrium disponendi de hæreticorum Provinciis sibi arrogassent, ut fræno Batavi circumducti, manum sui legitimi moderatoris agnoscerent, ac insaniendi, & insolescendi finem facerent. Fortè, hoc fędere inito, Serenissimus Archidux Belgis, & perduellibus his imperasset, Anglia post liminio Ecclesiæ rediisset, & Aquilonares hæretici non offendere Catholicos auderent, sed defendere se, suaque satagerent. Hoc certè foret e Religione fędus, cui Deus benedixisset, cui omnes Catholici fausta adprecarentur, & substantiam, vitamque litarent; non illud, in quo agitur de scindenda Catholica Monarchia, cui Deus manifestè resistit, cui omnes, qui Catholicè sentiunt, funestum exitum augurantur, desiderant, à Deo exorant. Si Hispanæ Mo-

 nar-

narchiæ Provinciæ assumento dumtaxat politicæ unionis connecterentur, forsàn divisioni obnoxia foret, aut scisuræ capax. Sed cum Catholicæ Fidei, & Romanæ Ecclesiæ obedientiæ subtegmine, & stamine, textrino veluti artificio, sit desuper contexta per totum; individua, & integra uni cedat, necesse est, exemplo inconsutilis tunicæ, quæ quia unius fidei, unius corporis sub uno visibili capite Sacramentum præferebat, divisionem passa non fuit, sed integram, & indivisam unus sortitus est. *Hoc unitatis Sacramentum*, ait D. Cipr. tract. de unit. Eccl. *ostenditur, quando in Evangelio tunica Domini nostri Jesu Christi non dividitur omnino, nec scinditur, sed sortientibus de veste Christi quis ipsam potius indueret; integra vestis accipitur, & incorrupta, & individua tunica possidetur*. Ex quo infert. *Possidere non potest Ecclesiam Christi, qui scindit, & dividit Ecclesiam Christi*. Consimili illatione deducere possumus: Quod non possideat Hispanam Monarchiam, quæ quoad fidei unitatem conjunctissima est Ecclesiæ Christi; qui scindit, vel scindere attentat Hispanam Monarchiam. Idcirco Philippo nostro integra cessit, qui ejus unitatem, & individuitatem, proprio etiam cruore, tueri parat, & asserere pergit.

347. Mirabilis Deus! Quis quantumque sibi prudens, & sapiens crederet, iisdem moliminibus, quibus hæ duæ etærodoxæ nationes tanta sæculi prudentia, tantoque astu hanc Monarchiam evertere conabantur, ejus incolumitati, integritati, & perpetuitati consul-

tum

tum iri ? Nullus profectò ; sed tamen Deus, qui comprehendit sapientes in astutia eorum, hos excidii, ruinæ, aut scisionis cogitatus ejus perennitati, &, ut ita dicam, ad novam gloriam resurrectioni, inservire fecit. Adhuc in vivis agebat Carolus II. & hi fidelissimi Hispaniarum auxiliares officiosa negotiatione Regem Christianissimum ad divisionemRegnorum Caroli inducere totis viribus conabantur ; ut Carolus posset Christi morientis, cujus patientiam perpeti imitatione complexus est, etiam moriturus, illud usurpare. *Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserũt sortes.* Psal. 21. Hæc solicitata divisio Carolum ursit, adegit, ut re communicata, successorem declararet Serenissimum nostrum Philippum, cujus declaratione, meditata divisio evanuit, & suorum Authorum confusione, Monarchia restitui cæpit, eo gladio defensa, quo scindendam fuisse, autumabant. Fortè, nisi de divisione tractatus emergeret, Carolus de successore declarando non cogitasset, sed sceptrum reliquisset, cui de jure debebatur. Hispanisque suis affectibus huc, atque illuc distractis, locus fuisset scisuræ ; hanc tamen animorum distractionem præoccupavit Caroli testamentum, illudque omnibus ejus subditis, veluti e Cęlo dictatum, suscipientibus, & miranda consensione acceptantibus, Philippo nostro, annuente Christianissimo Rege, integra succesio patuit: dumque divisores stupefacti se se mutuo respiciunt, Philippus, vocatur, trahitur, suscipitur, evehitur, corona-

tur, nemine mussitante. Hoc Sapientissimæ Dei Providentiæ præconium irridentis humanæ prudentiæ cavillos, admirans expendebat Basil. Seleuc. orat. 8. Secum animo evolvens mirabilem illum Josephi Patriarchæ eventum. Revelata Josepho fuerat super fratres suos typis Solis, Lunæ, & Stellarum exaltatio, ipseque candidè somnia sua fratribus aperuerat. Invidi fratres, ut somnia, vel oracula frustrarent, ruinam somniantis moliuntur, exequuntur venditionem; quasi, vendito Josepho, actum fuisset de eo, & de oraculo. Sed venditio via ad fastigium fuit, compendium ad exaltationem. *Verùm* (inquit Seleuc.) *ò Divinam Providentiam! qua comprehendit Sapientes in astutia eorum. Nam inviti istis somniis per imprudentiam observiunt, inviti Joseph somniis operam commodant, viam, qua vera evadant somnia, venditionem moliuntur.*

348. Meditati estis, optimi nobiscum quondam fœderati, attentastis Hispani Imperii sectionem; veriti, ne quando resurgeret, moveret lacertos, & ruinam vestræ tyrannidi, & superstitioni afferret; attentastis; sed Deus retibus quæ texuistis, vos involuit, implicuit; & quæ parata erant instrumenta ad scindendum; perpetuitati, & individuitati asserendæ inservierunt; expediistis viam, qua facilius, Philippus noster perveniret ad Thronum, præparastis remedium, quo ægra Monarchia convalesceret, & ad novam vitam consurgeret; invenistis arcanum, quo sceptrum annosum, &

ex-

exsuccum novo vigore viresceret. Hoc vobis debemus, sed sine gratitudinis onere, quod Catholicum Philippum, piissimum Regem, strenuum Ducem, invictum pugilem, nacti simus, qui vobis erit ensis in jugulo, fustis in dorso, calceus in collo. Interim nos ovantes cum Zacharia cantabimus. *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, & fecit redemptionem plebis suæ*, & ad vos nictantes sequemur. *Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium, qui oderunt nos.* Stulti aliquando sapite. Deus irritavit, infatuavit, vanosque reddidit iniquos conatus evertendi Imperium hoc, quia cum sit in terris scutum firmissimum Divinæ Veritatis, & Evangelicæ Legis; Divina ipsa Veritas scuto suo illud circumdat, & protegit; & ideo non miremini si infelix responderit exitus negotio divisionis vestræ perambulanti in tenebris.

349. Ii sunt, & ii fuerunt Domus Austriacæ colligati, hi Achiles, & Ulysses, quibus credita est raptæ (ut ostendunt) Helenæ, vel potius cum Paride fugientis, recuperatio, Franciæ, ac Hispaniæ eversio; & quidem Palladium suum, nescio quo suadente Sinone, per Lusitaniam Castellam introducere conati sunt; sed simili exitu, ac Neapoli, Cremonæ, Rotæ, & Barcinone experti sunt. Judicet nunc æquus arbiter, num de his quidquã boni Augustissimo Cæsari sperare licuerit? an horum perniciosa subsidia tanto Ecclesiæ Catholicæ incommodo comparanda fuerint? an ad vindicandam, vel potius radicitus evellendam, Monarchiam Hispanam eorum conatus colliment?

§. VIII.

§. VIII.

Intenta Hispani Imperii divisio Hispanos in domum Germano Austriacam obsti- natè obarmavit.

350. HAEc iniqua divisionis pactio, tanto studio ab his Hispani nominis æmulis adinventa, Augustissimum Cæsarem minimè fugit; & si ab initio ipsum latuit quod credere difficile est, postmodum à Catholico Rege illius conscius effectus est; nec propterea divisorum conatus redarguit, vel positivè in ipsam invectus est. Unde subfuit Hispanis suspicio, hunc tractatum minimè Domui Austrico-Germanæ displicere, fortè, quia cum sine horum armis Monarchiam integram sibi asserere desperaret; partem ab ipsis pacificè oblatam acceptare, prudentius, & tutius existimavit. Hæc vel necessaria, vel libera conniventia, Hispanos exasperavit; & quidem meritò; nam vel Augustissimus Cæsar in integrum succedere debebat, vel nullatenus; si nullatenus, non debuit pactionem de re ad se non pertinente, nec à pacisci non potentibus oblatam admittere; sed rejectare; si in integrum, non potuit in præjudicium Monarchiæ, vel uni Provinciæ cedere, cujus multum interest integritas, & indivisio. Ideo quibusvis juribus fulciretur; ab Hispanis fugiendus esset. Hic enim casus ex ipsa Regnorum con-

constitutione censetur universaliter exceptus à regulari successionis ordine,si scilicet inmediatus successor in bonú publicumRegni,cui succedere debet,quoquo modo cognoscatur peccasse.Quia cum institutio Regnorũ, ex dictis superius, finem habeat boni publici conservationem; in casu imminentis certò ruinæ, Regnum se ipsum tueri, ac defendere potest,sicut quævis alia Respublica, ne translatio potestatis introducta in ædificationem, degeneret in exterminium. Hæc ratio superveniens juribus Serenissimi Regis nostri Philippi, quæ doctiorum, & æquiorum hominum sententiam præoccupaverant, Hispanos, & ferè omnes Monarchiæ Subditos in partes ejus adegit; imò & Carolum ipsum II. licet Austriacum, qui cognoscens integram successionem Philippo deberi, ab eoque adversus dividentes, stipato armis Christianissimi Avi, ejus integritatem defendi posse, & defensum iri; si quos conservabat versus Austriades privatæ, sed scrupulosæ,affectionis sensus; protinus exuit, & declarationem successoris Philippi optimo consilio maturavit. Eaque audita, plausu quà manibus, quà ore excitato, cuncti constantissimè designato Successori se devoverunt, parati pro novo Rege, pro integro Regno, pro quavis ejus particula supremam sanguinis stillam effundere, & divisoribus, ipsisque conniventibus, usque ad ultimum vitæ anhelitum obstinatè resistere.

351. Sanè hanc causam Carolus diffinivit Sapiẽtissimi Regum Salomonis audito suffragio. Nam 3. Reg.

Reg. cap. 3. causa quædam divisionis unius individui filii ipsi decidenda delata est inter duas mulieres, quarum quævis filium sibi deberi, jactabat. Rex sagacissimus, ut veram à suppotitia matre distingueret; protulit illud. *Dividatur infans.* quod cum audisset suppositititia conquievit, satis sibi putans, si partem filii acquireret, qui nec ad totum, nec ad partem jus habebat. At vera genitrix ne divisio fieret, vel æmulæ proprium filium cedere non dubitavit. Audivit Carolus illam temerariam inimicorum nostrorum sententiam, quam qui nihil præter scisuras, & schismata meditantur, veluti ex tripode protulerunt contra Monarchiam Hispanam, usurpato sibi judicio. *Dividatur.* Ipse verò, ut verus parens ejus integritati, & indivisioni consuluit. *Commota sunt quippe viscera ejus super filio suo.* & cognoscens Serenissimo Philippo integram successionem deberi, licet æmulæ domus germini, ultimis tabulis exclamavit. *Non dividatur*. Sed integra cedat Philippo, qui integram conservet, indivisam administret, & à gladio dividentium tueatur. Quis si verè Hispanus est, dum audit, *nec mihi, nec tibi, sed dividatur*, vitam suæ Monarchiæ, quæ in indivisione cõsistit, non suspiret, ad has scisuræ voces non ferociat, & usque ad aras, & focos non contranitatur? Divident fortè; sed prius sectim divisis Hispanis; alias nunquam credam, nec flagitiosa horum divisorum temeritas credere patitur. Hæc omnia non obscurè ostendunt, Augustissimo Cęsari nullam probandam spem conquirendi inte-

te-

tegram Monarchiam Serenissimo Archiduci potuisse ad hoc bellum excitare, siquidem, nec ex merito causæ, nec ex Hispanorum inclinatione, nec ex antipathya cum Francigenis, nec ex subsidiis fęderatorum, id licebat sperare; præsertim suo silentio admissa, & probata divisione Monarchiæ, quam Hispani quotquot sunt, nequeunt non ex corde fugere, & aversari. Ecce igitur *ex Authore*, *ex causa*, *ex fine* reprobatum Austriacum bellum.

352. Ad te nunc, invictissime Philippe, dulcis resurgentis Hispaniæ spes, Catholicæ Monarchiæ firmissimum fulcrum, & columen, ad te denium oratio nostra convertitur. Tibi cessit, tibi debebatur tanti Imperii successio: tibi, *cujus nec nomen vacuum est laude* (ut verba Amb. non sine adlusione usurpemus) qui in regenerationis lavacro, non tam hominis sortitus est nomen, quam oraculum Regis, & Regis Hispani, imo Regis Hispani sceptrum ab alia in propriam transferentis virilem stirpem. Philippus I. Austriacus sceptrum ab Aragoniis in Austriades transtulit. Philippus V. Francus, ab Austriacis in Francos trajecit. Ab illo originem duxit series Austriadum in Hispania regnantium, quæ desiit in Carolo; ab hoc capit exordium regnantium Borboniorum gens, cujus Imperium Regno coævum bonis avibus auguramur. Philippus, teste D. Antonin. 1.p. Hist.tit.6. cap. 11. interpretatur *os manuum*. Philippus noster manuum eloquentia in ipso ineuntis inventæ flore conspicuum

Fff se

se cunctis reddidit; qui bellicosi, impavidi, impigri Principis plura, eaque præclara, edidit specimina: qui postulatus ad Martis tribunal, jura sua manuum energia defendenda didicit, & egregiè defendit. Macte Rex invictissime accingere gladio tuo super femur tuum, ut potentissima Hispana Monarchia, te Duce, pristino restituatur splendori; cui, te Rege, mirum in modum congruit, quod de Romano Imperio Lucius Ann. Florus, & ipse Hispanus, præfari ausus est. *A Cæsare Augusto in sæculum nostrum sunt non multo minus anni ducenti, quibus inertia Cæsarum, quasi consenuit, atque decoxit, nisi quod sub Trajano Principe movet lacertos, & præter spem omnium senectus Imperii quasi reddita juventute revirescit.* Paucula si mutemus, cætera congruunt totidem verbis; scilicet; *à Carolo V. in sæculum nostrum sunt non multo minus anni ducenti, quibus adversantis fortunæ contentiosa æmulatione, quasi consenuit, atque decoxit, nisi quod sub Philippo Rege movet lacertos, & præter spem omnium senectus Hispanicæ Monarchiæ, quasi reddita juventute revirescit.* Specie tua, & pulchritudine tua intende prospere, procede, & regna. In utroque tibi spes certa vincendi. Regia oris venustate, majestate, decore, elegantia, de propriis Subditis primum gloriosum, & incruentum triumphum retulisti: gloriosiorem de inimicis gladii acumine relaturus postea victoriam. Fortuna arridet, virtus aspirat, justitia favet. Adversarii tui multis gestiunt jura sua imperitiæ

sua-

ſuadere; nam emunctarum narium hominibus ea obtrudere deſperant. Tu injuſtiſſimo bello appetitus, & doctis, & imperitis cauſam peroras brevibus illis, ſed ad rem conceptis D. Hieron. ad Auguſtin. verbis. *Non ſum aggreſſor, ſed aggreſſos innoxios tueor: nec offendo, ſed defendo; non provoco, ſed reſiſto, non ſum invaſor, ſed defenſor.* Vive diù, & perge feliciter.

FINIS.

